

Zacharias Grape Johann Christoph Klee

Disputatio Ethica De Probitate Publica, eiusq[ue] speciebus

Rostochii: Kilius, [1667]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730580210>

Druck Freier  Zugang



Ru phi 767
Zacharias Strapius
Johann Christoph Kell



DISPUTATIO ETHICA
De
PROBITATE
PUBLICA,

Ejusq; speciebus,
Quam

Divino cum auspicio,

PRÆSIDE

ZACHARIA
GRAPPIO,

S.S. Theol. Licent. & Log. Prof.

Publ,

Placido *Φιλοσοφῶντων* examini
publicè sistit

JOHANNES CHRISTO-
PHORUS KLEE,

Stadâ Bremensis

*Die ultimo Septembris in Auditorio majori,
horis matutinis.*

ROSTOCHII, Typis Johannis Kili, Acad, Typogr.

DISPUTATIO ETHICA
De
PROBIBITATE

PUBLICA

Etiam: Specibus

Quam

Divino cum suspicio

PRÆSIDIO

ZACHARIA

GRAPPIO

S.S. Theol. Licent. & Log. Prof.

1711

Spade: Divina: no: examini

publice: illi:

IOHANNES CHRISTO

PRIORIS KLIE

Spade: Bremen:

Enchiridion: Sep: continet: in: Inductio: magis:

per: tractatus:

ROSTOCKII Typo Johannis Kuhn Acad. Typogr.





I. N. J. O.
SECTIO PRIOR Θ ETIKH.

MEMBRUM I.

De Definitione Probitatis publicæ, ac
specierum ejusdem.

Quid sit Probitas publica, ex Disputationis nostræ de Probitate, Sect: prioris, Membr. V. §. 4. manifestum, adeò, ut necessarium non putemus, definitionem illius pluribus hîc repetere, sed potiùs, eadem misâ, species ejus, quæ Fortitudo & Iustitia distributiva, discutiendas aggredimur. Sit itaq;

ARTIC. I.

De naturâ Fortitudinis.

§. I.



Definitionem Fortitudinis hanc tradimus: Fortitudo est probitas publica. appetitum rationalem in morte bellica, alacriter suscipienda & decenter ac honestè sustinendâ, dirigere ac perspicere valens.

§. 2. Definitum est Fortitudo, & ratione etymologiæ ab adjectivo fortis, e, descendit. Fortis autem sine primitivum an derivativum: Et si derivativum, utrum à forâs, an à feriendo, an à ferendo deducatur, Philologis judicandum permittimus.

A 3

§. 3. Quoad

§. 3. *Quoad equivocationem terminus fortitudinis varie capi-*
pitur. Et quidem 1. Philologicè, præ primis in respectu ad suum,
primitivum & in concreto si spectatur, vel pro laborum tolerantia, sic
Horat. l. 2. Ep. 1. Agricola præsci fortes parvoq; beati; vel pro mo-
deramine affectuum, ut in illo Ovidii: Fortior est, qui se, quam qui
fortissima, vincit; vel pro tolerantia & constantia in rebus adversis,
vid. Horat. l. 2. Serm. Satyr. II. v. ult. Aug. l. 1. de liber. arb. c. 13. vel
pro quovis periculis contemptu, & ipsa audacia. Hinc Autor
ad Herenn. Fortitudini fortuna adjumento esse solet. Quod &
quibus in locis vocabulum fortis jam pro celeri; jam pro for-
moso; jam pro divite; jam pro bono ac honesto sumatur, consu-
lendi sunt Lexicographi, & inter alios Faber in suo Thesauro, aucto
per Aug. Buchn. 2. Physicè pro corporis robore ac viribus, sic illud
Mimi, apud Capitolinum, quod Maximino Imperatori, propter
robur & magnitudinem corporis occidi se non posse, putanti, oc-
centum fuit, auctores passim citant: Leo fortis est & occiditur: Ti-
gru fortis est & occiditur: Cave multos, si singulos non times 3. Ethicè
pro firmitate animi. Et tum vel generalissimè pro omnibus virtu-
tibus, quo sensu Menedemus, Plato & alii vetustiores Philosophi o-
mnès virtutes unum quid esse, & solo nomine, non essentiâ distingui,
putantes, nomine fortitudinis omnes etiam complexi sunt virtutes,
vid. Piccol. grad. 4. c. 21. Phil. mor. Vel generalius pro constantia,
animi ad quasvis actiones honestas edendas, & sic commune cujus-
vis virtutis requisitum est. Hinc Aristot. l. II c. 3. Eth. ad Nicom.
dicit: virtutis esse, firmiter immobiliterq; agere. Vel generaliter,
pro tali virtute morali, quâ quævis pericula, molestias & asperitates
tum belli tum pacis tempore pro salute patriæ sustinere fortiter va-
lemus: Vel specialiter pro ejusmodi virtuoso habitu, quo quis in
bello justo, publicæ salutis causâ suscepto, mortem bellicam intrepide
subire potest. Specialiter rursus accipitur vel improprie, si quis
pericula & mortem bellicam quovis modo ac respectu fortiter ag-
greditur & patitur, vel potius aggredi & pati videtur. Cujus for-
titudinis apparentis & impropriæ Arist. l. 3. c. 11. nostræ editionis,
quinq; species, utpote civilem seu politicam, experimentalem, iracun-
diam seu ab irâ excitatam, fiduciariam & insciam seu stultam fortitu-
dinem recenset, & certis de causis improbat, ac ut spurias fortitudi-
nis

nis veræ species rejicit. Confer inter alios *Golium l. 3. c. 8. Eth. Aristot. Spengl. Exerc. Eth. 5. art. 1. præc. 5. & seqq. Libenth. Exerc. Eth. 7. Th. 8.* & plus satis, quid sint enumeratæ fortitudinis fucatæ species, erudieris. Quibus Spenglerus *c. l.* addit illam, quæ desperationis, cum quidam, omni spe victoriæ salutisq; abjectâ, in medios hostes mediamq; quasi irruunt mortem. Nos ad improprie talem fortitudinem merito referimus & *minacem seu verbis ac gestibus expressantem*, quâ quis verbis ac gestibus insignem præ se fert fortitudinem, uti thralones solent, & *Diabolicam*, quâ, arte diabolicâ stupore membris inducto, quævis pericula & ipsam quoque mortem adire multi audaces solent. Quod fortitudinis genus in modernis bellis usitatissimum; & *divinam seu supernaturalem*, quâ nonnulli ope divinâ quævis adversa etiam mortem propter veram fidem ac Religionem imperterriti sustinent animo, prout hoc in veris conspiciamus martyribus. Nam & hæc fortitudines, ut ita loqui liceat, nec veræ ex parte sunt, neque ex nostris viribus & actionibus fluunt, neque in civile publicum commodum tendunt, seu felicitatem civilem respiciunt: *Vel proprie* pro fortitudine specialiter accepta, quæ primò realis & honesta, deinde naturalibus viribus & nostris acquiritur actionibus, ac denique temporalem Populi salutem promovet. *Proprie* tandem sumitur *vel abstractivè & formaliter*, quatenus separatim sine subjecto ut simplex quædam forma consideratur: *Vel concretivè & materialiter*, prout in certo ac determinato spectatur subjecto: *Vel actualiter seu dispositivè* pro uno vel altero fortitudinis actu: *Vel habitualiter* pro integro ac perfecto habitu. Hinc distinctio apud Ethicos nota inter fortiter & fortia agere; hoc actum, illud habitum designat, & qui fortiter agit, ex habitu; qui autem fortia agit, ex aliquâ tantum dispositione operatur. Nos h. l. terminum fortitudinis nec philologicè, nec physicè, sed ethicè, & quidem specialiter, proprie, abstractivè, habitualiter acceptamus.

S. 4. *Grammatica* fortitudinis *synonyma* apud Latinos præ primis hæc sunt: *Animositas & Magnanimitas*, quatenus in sensu debito absq; ulla susmuntur æquivocatione. Dicitur vero *Animositas* ab animo, quia fortitudo in animo sita, eundemq; perficit: Et à magno animo *Magnanimitas*, siquidem animum magnum & intrepidum reddit, ad honestè suscipiendam ac sustinendam mortem bellicam.

licam. De notat quidem & *Magnanimitas* Aristoteli virtutem moralem, quæ in appetendis & consequendis magnis honoribus versatur. Verum, cum gradus & circumstantiæ non varient rem, seu novam inferant speciem, incommode ibi terminus Magnanimitatis adhibetur; convenientius a. ob dictam ezymi rationem Synonymum Fortitudinis statuitur. Græcis illa ἀνδρεία δὲ ἀνδρῶν à Viro dicitur, eò quod Viros maximè deceat, & illis tam convenientissima quàm frequentissima sit. Quà de re consulendi *Berckring. libr. 2. c. 34. Exerc. Eth. Senguerd. disp. 14. th. 2. Coll. Eth. Burgersd. c. 14. §. 1. Idea Phil. mor. & alii passim.* Recentet quoque *Spengl. c. 1. in c. 1. præc. 1. §. 3.* Synonyma grammatica fortitudinis in ebræo idiomate. Sed singula omnium linguarum synonyma fortitudinis enumerare, nec decet nec opus est, cum latina latinis sufficiant. Nisi quis ex abundanti græca propter Aristotelis Philosophiam, quæ hodiè receptissima, adferre velit.

§. 5. *Definitum* excipit *definitio fortitudinis*, quæ constat genere proximo adequato & differentiâ specifica genuinâ. Genus proximum & adequatum est probitas. Quod probamus 7. *Ex definitione.* Probitas enim juxta accuratiores Ethicos est *virtus moralis, appetitum rationalem, ut in humanis se rectè gerere possit, dirigens.* Jam Fortitudo & virtus moralis, fatentibus omnibus Philosophis, est, & appetitum rationalem in humanis, nempe morte bellica, decenter ferendâ, dirigere potest. Quid autem magis humanum, quàm mors bellica? Illa namq; ab hominibus propter homines in humana nimirum Patriæ salutem ac publicum suscipitur commodum. 2. *Ex opposito.* Virtus moralis proximè & adæquatè dividitur in pietatem & probitatem, uti disputatione nostrâ de Virtute morali fusiùs probavimus. Hinc sequitur, fortitudinis, quippe quæ re verâ virtus moralis, proximum genus esse vel pietatem vel probitatem. Atqui non est pietas, quia non divina seu cultum divinum, sed potius humana, mortem bellicam, respicit. E. probitas. 3. *ab incommo-* modo, cum inconveniens sit, aliud genus proximum præter probitatem fortitudini assignare, peccetq; in bonæ definitionis leges, quas transgredi, nefas: Et quas alias pro fortitudinis genere proximo adducere possumus rationes. Quando vero addimus, quòd sic probitas publica, per rō publicam genericam fortitudinis differen-

tiam

tiam innuimus. Probitas enim pro rerum humanarum practica-
tum diversitate alia publica, alia privata est. Probitas publica est,
quæ in humanis publicis, vide cit: nostram disp: appetitum rationa-
lem moderari potest. Et hoc etiam fortitudo egregie præstat,
cum hominem informat ad mortem bellicam convenienter obeun-
dam; quæ humanum publicum, quoniam publicè à personis pub-
licis, Magistratu nempe, imperatur, propter bonum publicum pro
salute patriæ & communi tranquillitate expetitur, & in bello, publicè
indictò, ad profligandos communes hostes laudabiliter sustinetur.

§. 6. Fortitud. *differentia specifica* est dirigibilitas appetitus
rationalis ad mortem bellicam decenter ex- & oppetendam boni
publici causâ. Naturâ quidem nos contra hostes defendimus, &
pro patriâ, & libertate vindicandâ, etiam mori non recusamus. Ve-
rùm, ut decenter hoc fiat, Fortitudo appetitum rationalem dirigere
debet, ne in justa defensione ab honestatis scopo aberrer, sed ut il-
la cum honestate ac vera laude semper conjuncta sit. Hanc autem
fortitudinis differentiam specifi: esse genuinam inde liquet. *Quòd*
1. desumpta sit à Fortitudinis objecto præprimis externo. Atqui om-
nium virtutum differentia specificæ struuntur ex earundè objectis
externis, veluti collectio omnium exemplorum edocet. Jam For-
titudinis objectum externum est mors bellica, uti postea pluribus
evincesmus. *2.* Fortitudinem specificet & ab omnibus, non solum
virtutibus, sed & aliis rebus, in mundo existentibus verè distinguat.
Nulla enim virtus vel moralis vel intellectualis, nec ulla alia res da-
tur, quæ circa mortem bellicam versetur, nisi sola fortitudo. *3.* Cum
Fortitudine primo & immediatè recipiari possit. Nam rectius e-
nuncio: *O. Fortitudo appetit: rationalem in morte bellica, honestè*
subeundâ, moderatur. Et: *Quicquid appetit: rat: in morte bellica,*
honestè subeundâ, moderatur, est Fortitudo *4.* Contineat genui-
nos fortitudinis actus: suscipere seu aggredi, & sustinere mortem
bellicam, qui unâ cum objecto externo differentiam fortitud. specifi-
cam constituant. Nam & aggredi & sustinere mortem bellicam decet
fortes.

ARTIC. II.

De Justitiæ distributiæ definitione.

§. 1. Distributivam justitiam sic definimus, quod sit *probitas*
publica,

publica, appetitum rationalem in publicis rebus, ritè juxta personarum
qualitatem & dignitatem distribuendis, perficere ac dirigere valens.

§. 2. Descendit autem Justitia ratione etymologiae gram-
maticae omnium optimè ab adjectivo justus, a, um, eo quod nil nisi
justum & æquum sectetur: Distributiva vocatur à distribuendo,
quod cuiq; suum ex publicis tribuat rebus. Confer hæc de re pas-
sim Ethicos.

§. 3. Aliàs vox justitiæ varias admittit significaciones, & su-
mitur 1. *Philologicè*, vel pro æquitate, ut apud Ter. in Heaut. *At. IV.*
sc. l. v. 29. vel pro lenitate in Orat. Cic. pro Marcello. Beza ad *v. 1. cap.*
6. Matth. notat justitiam apud Ebræos sumi pro elemosynâ, 2. *Theo-*
logicè pro justitia tam legali quàm evangelicâ, de quibus Theolo-
gi. 3. *Juridicè*, & est constans & perpetua voluntas jus suum
cuiq; tribuendi. 4. *Philosophicè*, tam *physicè*, prout specificat
temperamentum, quod vel ad pondus vel ad justitiam, confer inter
alios Spersling. *Instit. phys. l. 6. cap. 3.* quàm *Ethicè*, partim generaliter,
pro universa erga legem naturæ obedientia, dum quis præstat id,
ad quod obstrictus est Deo, sibi & proximo: & aliàs *justitia uni-*
versalis seu legalis dicitur, atq; ex Aristotele *l. 5. c. 3.* & seqq. *Eth. ad*
Nicom. communiter definitur, quod sit vel virtus, per quam oboedien-
tiam præstamus omnibus legibus in eum finem, ut & publica utilitas pro-
moveatur, & politica societas inter homines conservetur. Vel: *Com-*
plexus omnium virtutum, quo legibus oboedientia præstat, ut gloria
Dei cum primis & salus publica promoveatur. Vid. *Gol. l. 5. c. 1. Eth.*
Spengl. Exerc. Eth. II. Art. 1. ενδεσ. præcept. 1. §. 3. & alios plures:
partim specialiter pro justitiâ particulari seu æqualitate, quam Ari-
stotelici per virtutem moralem, mediocritatem observantem circa res
vel distribuendas, vel commutandas ut suum cuiq; tribuatur, definiunt,
vid. allegat. jã autores: partim specialissimè, pro justitiâ distributiva in
quantû illa contradistinguitur commutativæ. Et tû rursus accipitur
vel propriè, pro honesta ac prudenti publicarû rerum distributione;
vel impropriè & abusivè, in quantum & brutis & piratis ac latronibus,
spolia justè distribuendis, adscribitur. Vel abstractè, pro abstractâ
& universali justitiæ distributivæ essentiâ; vel concretè pro suis spe-
ciebus. Vel abstractivè quatenus extra subjectum; vel concretivè
quatenus in subjecto consideratur. Vel actualiter pro illius actibus;
vel

vel habitualiter pro consummato habitu: Hinc phrasiologia ethica: iusta & iuste agere: Quæ ex priori hujus membri articulo satis clara: rō *distributivum* est terminus tantum philosophicus & ad designandam certam virtutis moralis speciem adhibetur.

§. 4. In latino sermone vix ullum, in sensu Ethico justitiæ distributiæ Synonymum grammaticum deprehendes, adeoque *Synonymia iust. Distr.* hâc vice prætermittenda.

§. 5. *Genus proximum & adæquatum iust. Distrib. publicæ* probitas est. Quod his firmamus argumentis. 1. *Q. versatur circa humana publicæ, illud est probitas publicæ. Atqui justitiæ distrib. circa humana publicæ versatur.* E. Major nititur formali probitatis publicæ ratione, quæ est, dirigere voluntatem humanam in expetendis & peragendis humanis publicis, confer dat. nostram de Probitate. *Min.* probatur, quia publicæ res, quas iust. distr. pro objecto habet, sunt humana publicæ, quæ sunt publici juris & ad omnes omnino cives spectant, quæque à personis publicis s. Magistratu publicè distribuuntur & ad bonum publicum diriguntur, ut in specie ex præmiis, oneribus & pœnis, inter cives certo modo dividendis, clariùs elucescit. De quibus in tractatione specierum iust. distributiæ pluribus agendum. 2. *Q. reddit homines publicè probos, illud est probitas publicæ, cum effectus testetur de sua causa. Atqui justitiæ distrib. reddit homines publicè probos:* Ob distrib. enim justitiæ homines non pii, accurate loquendo, sed probi publicè audiunt, uti philosophicus accurate loquendi usus comprobat. 3. *Q. Virtus ad secundam Decalogi tabulam spectat, illa est, probitas. Atqui justitiæ distrib. spectat ad secundam Decalogi tabulam.* E. Maj: probatur, quoniam secunda Decalogi tabula respicit proximum, uti prima Deum. Proximo autem debetur probitas, uti Deo pietas. *Minor* inde patet, quod justitiæ distrib. præ primis in 7. & 8. præcepto contineatur. In illis enim justitiæ & distributiæ & commutativa quàm maxime præcipiuntur.

§. 6. *Differentia specifica iust. distr.* ab ejus objecto externo, ut in virtutibus omnibus, desumitur, & est dirigibilitas appetitus rationalis in publicis rebus, secundum personarum qualitatem & dignitatem rite distribuendis. Esse verò res publicas, debito modo distribuendas, adæquatum iust. distributiæ objectum externum jam
B jam

jam declarabimus, ubi de illius objecto acturi sumus. Quod si fecerimus, ulterò patebit, nos genuinam justitiæ distrib. assignasse differentiam specif. Nihil jam dicturi, to dirigere voluntatis actus, in recte distribuendis rebus publicis, primo & immediate in quale quid ac reciproce prædicari de justitia distrib. h. m. *O. justitia distr. appetitum rat. in publicis rebus, recte distribuendus, moderari valet. Et: Q. moderari valet appet. rat. in publicis rebus, recte distribuendus, est justitia distrib.*

MEMBR. II.

De Subjectis & Objectis Specierum Probitatis publicæ.

ART. I.

De Subjecto & Objecto Fortitudinis.

§. 1. *Subjectum Fortitudinis aliud QUO s. inhætionis, aliud QUOD s. denominationis est. Inhætionis proximum & adequatum, est appetitus rationalis s. voluntas cum suis actibus; remotum est anima humana. Illud exinde constat, quia nos de Fortitudine animi, non corporis, in præsens agimus, quæ omnium philosophorum judicio verè Virtus moralis est. Jam V. M. inhætionis subjectum adequatum proximum sibi vindicat voluntatem, prout hoc plenius in disp. nostra de Virtute morali probatam dedimus. Subjectum denominationis est homo, qui ab inhærente fortitudinis habitu fortis denominatur.*

§. 2. *Objectum Fortitudinis, uti cæterarum virtutum omnium, est geminum, unum internum, alterum externum. Internum est voluntas cum suis actibus, quales sunt appetitio, & præviâ consultatione, electio, quos moderatur, perficit ac faciles Fortitudo reddit, ad decenter appetendam, eligendam ac adeundam mortem bellicam, illaque pericula sustinenda, quæ cum morte bellicâ conjuncta sunt. Nam qui nunquam moderate appetit, nec eligit mortem bellicam, ille nunquam ullum fortitudinis actum edet, nedum fortitudinis*

titudinis habitum consequetur. Coincidunt autem Objectum in-
 ternum & proximum inhaesionis Subjectum fortitudinis, eo quod
 ex affectione actuum voluntatis & continuâ praxi efficiatur habitus
 fortitudinis, qui postea istis actibus firmiter inhaeret, & illos ut sub-
 jectum inhaesionis occupat. Diverso igitur respectu voluntas cum
 suis actibus est, & Subjectum inhaesionis & internum fortitudinis
 objectum. Antecedenter est illius objectum internum, & conse-
 quenter Subjectum inhaesionis; seu terminativè, quatenus fortitudo
 ad actus voluntatis terminatur, est voluntas hominis objectum in-
 ternum fortitudinis; & reflexivè ac reciproçè, quatenus actus forti-
 tudinis ad actus voluntatis reflectuntur, sic ejus Subjectum inhae-
 sionis. Nec mirum, quod una eademque res ac facultas plures admic-
 tat respectus philosophicos, cum illud in Philosophorum scholis
 frequentissimum, & infinitis declarari posset exemplis, nisi res me-
 ridianâ luce clarior esset. Quod voluntas s. *appetitus* rationalis cum
 suis actibus sit objectum Fortitud. internum ex his manifestum.
Quod 1. Virtus moralis, quæ ideo moralis appellatur, quia circa mo-
 res i. e. actus voluntatis formandos versatur. 2. Fortitudo praxi
 acquiratur, quæ voluntati propria, uti theoria intellectui. 3. For-
 titudinis finis honestas s. bonitas. Ast bonum est objectum volun-
 tatis, uti verum intellectus objectum est.

S. 3. Externum Fortitudinis objectum adequatum est mors
bellica & consequenter molestia ac pericula, quæ illam comitantur:
 urpote vigilare, frigus, æstus, sitim ac famem tolerare, castra mu-
 nire, arma gestare, urbes oppugnare, in acie stare, in hostes ruere, ad
 sudorem & lassitudinem pugnare, vulnera & ictus non recusare, nec
 tergis excipere, hostium tergis inhaerere, & in ipso conflictu ani-
 mam sine ulla consternatione pro salute Patriæ efflare. *Nam 1.* illi de-
 mum fortes & heroes propriè salutantur, qui pro patria & commu-
 ni libertate in bello mortem oppetere non detrectant, uti quoti-
 diana, rerum optima magistra, testatur experientia, & tot compro-
 bant exempla. 2. Fortitudo secundum *Aristot. l. 3. c. 11. Eth: ad Ni-*
com: pro objecto habet τὰ φοβερά terribilia, Mors autem, eodem
 teste, est φοβερώς φοβότατον terribilium terribilissimum. E. circ. 2
 mortem quam maximè occupata est Fortitudo. Cui accedit, quod

Aristor: c. libro, ipsiusque affectæ expressè statuant, fortitudinis ob-
jectum speciale & primum esse mortem bellicam, *inspice Eust. de*
S. Paulo part: 3. tract: 3. disp. 2. §. 3. quæst: 1. Phil. mor: Heerboord,
disp: 19. Colleg: Eth: Berckring: l. 2. c. 34. Exercit: Eth: Golium & Spengl.
c. 1. & alios. Jam non tam generale, quàm speciale, non tam secundari-
um, quàm primum fortitudinis objectum externum attenden-
dum est. 3. Morti honeste se offerre nullibi, nisi in bello licet: Nec
ulla mors vel honestior vel laudabilior, quàm cui in bello pro salute
patriæ succumbimus. E. mors bellica fortitudinis objectum. 4. Op-
posita Fortitudinis, tam metus quàm audacia nihil magis quàm belli-
cam respiciunt mortem, & in illâ moderatè sustinenda, maxime pec-
cant. E. & fortitudo, cum contrarie oppositorum idem sit obje-
ctum. 5. Mors bellica specificat & distinguit fortitudinem ab o-
mnibus aliis rebus in mundo existentibus, cum nulla res in medium
adferri possit, quæ morte bellicâ specificetur. E. est fortitudinis
objectum externum, quippe quod virtutes specificare solet, uti sæ-
pius dictum. 6. Mors bellica, extra appetitum rationalem posita
est. E. Fortitudinis objectum externum.

ART. II.

De Subiecto & Objecto justitiæ distri- butivæ.

§. 1. *Justitia distrib. subiectum & inhesionis & denominationis*, ut & *Objectum internum* cum fortitudine idem ac commune ha-
bet, cum sint species unius ejusdemque generis nempe probitatis
publicæ. Jam quod de una specie ratione essentialis genericæ valet,
idem de alterâ quoque valebit. Confirmat autem exemplorum
inductio, quòd virtutes ejusdem generis idem subiectum & obje-
ctum internum sibi vendicent. Hinc rationes quas pro adstruendis
subiecto & objecto interno Fortitudinis superius adduximus, &
hic repetendæ sunt, cum eorundem eadem ubiq; sit ratio.

§. 2. *Externum Justitiæ distrib: ut sic & abstractè talis obje-*
ctum sunt publicæ res, quæ universam concernunt civitatem, & inter
cives, & eos, qui loco civium habentur, publicè à Magistratu in-
æqualiter

æqualiter juxta personarum dignitatem distribuendæ sunt, uti sequentia confirmant argumenta. 1. *Quia* objectum hoc justitiæ distrib: aptissimum, cum ideo vocetur distributiva, quod circa res distribuendas, quales sunt publicæ res, versetur. Res enim publicæ sunt res communes, ad singulos, qui in communiione sunt, spectantes; de quibus etiam singuli partem pare debent. 2. *Quia* in distributione publicarum rerum, quam maximè conspicitur justitia distributiva, quæ requirit, ut juxta proportionem geometricam s. personarum dignitatem suam cuiq; tribuatur. 3. *Quia* species justitiæ distrib: non nisi publicas res, nimirum præmia pœnas & onera pro externis habent objectis, ut paulò post indicabimus. Sequitur ergò quod & justitiæ distrib: objectum externum sint publicæ res, cum species nihil, nisi naturam generis, commune habeant: Et genus communem quandam naturam à speciebus abstrahat. 4. *Quia*, uti justitia commutativa concernit res privatas, sic è contra justitia distributiva publicas adsciscit res. Diversorum enim diversa quoque ratio est. 5. *Quia* nulla alia virtus tali gaudet objecto, & tamen circa illud appetitus rationalis quàm maximè dirigendus est. 6. *Quia* determinant ac specificant publicæ res justitiam distrib: E. illius objectum externum, siquidem hoc peculiare objecti externi officium, certam virtutis speciem inferre, prout sæpius monitum. 7. *Quia* in benè constitutâ Rep: diversi civium ordines dantur, quorum unus præstantior ac dignior altero. E. & pro personarum diversitate ac dignitatum varietate etiam publicæ res distribuendæ sunt, ut ubiq; proportio geometrica servetur. Honestum enim & æquum est, ut primates primas etiam ex rebus publicis accipiant partes, & sic porro.

MEMBR. III.

De Oppositis & divisionibus Specierum Probitatis publ.

ART. I.

De Opposito & Divisione Fortitudinis.

§. I. *Oppositum s. extremum Fortitudinis aliud deficiens aliud
excedens*

Excedens. Excedens Audacia est, quæ logicè sic definitur, quod sit improbitas publica, appetitum rationalem in aggredienda & sustinenda morte bellica excedendo corrumpens. Ubi notandum, nos hic per audaciam, nõ intelligere affectum quendam naturalẽ, quo homines naturã audaces sunt & ad audaciam inclinant, sed vitium morale ciebris actionibꝯ malis acquisitum. Præterea non tam verbalem, quàm realem hinc definimus audaciam. Hujus genus proximum & adequatum dicimus esse improbitatem publicam, vñm appetitum rationalem, ne in humanis publicis, ut est mors bellica, honestè se gerat, corrumpat. Insuper oppositorum opposita quoq; ratio. Nam uti fortitudo est probitas publica, sic è contrario Audacia tanquam fortitudinis alterum, oppositum per improbitatem publicam definienda. Cætera quæ loco differentia specificæ adjecimus, secundum leges veræ oppositionis rectè posita & illata sunt. Quemadmodum enim fortitudo appetitum ration, perficit in decenter suscipiendâ ac sustinendâ morte bellicâ; sic Audacia eundem excedendo in illa corrumpit. Consistit autem Excessus ille in hoc, quando quis sine ulla prudentia citra necessitatem ac honestatem, furore quodam animi & pravæ rationis impetu excitatus, pericula bellica aggreditur, in hostem ru-rit, seq; in mortem præcipitem agit solius utilitatis vel vanæ gloriæ causâ.

§. 2. *Deficiens fortitudinis oppositum est Timiditas, quæ definienda per improbitatem publicam, appetitum rationalem in suscipiendâ ac sustinenda morte bellica deficiendo corrumpens. Confirmatio ac declaratio hujus definitionis ex proximè præcedenti paragrapho est petenda. Nam quæ rationes pro adstruenda definitione Audaciæ faciunt, & hic locum habent, cum eorundem eadem ratio. Hoc unicum modo addendum, quo modo excessus ille contingat. Nimirum, quando quis bello, pro salute patriæ & communi libertate justè suscepto, se subducit, nec hostem invadere, nec ullum viræ periculum adire audet, sed potius Patriæ salutem negligere, suamq; ac suorum libertatem vendere mavult.*

§. 3. *Divisionem Fortitudo planè nullam admittit, cum sit species infima ac specialissima, quæ in plures alias distribui nequit species, uti sana dicitur ratio.*

ART: II.

ART: II.

De Opposito & divisione Justitiæ distrib.

§. 1. *Oppositum* Justitiæ distrib. uti cæterarum virtutum omnium geminum est, unum excedens, alterum deficiens. Utrumq; uno significatur nomine, vocaturq; *Injustitia distributiva*, quæ *improbitas publicæ*, appetitum rationalem in publicis rebus, juxta personarum qualitatem ac dignitatem distribuendis, partim excedendo, partim deficiendo corrumpens. Est improbitas publica, quoniam prædictum rationalem appet. ne in humanis publicis rite se gerere possit, corrumpit. Et uti Justitia distrib. est probitas publica, sic & injustitia distrib. vi oppositionis est improbitas publica. Quinimo sicut justitia distrib. perficit, sic e contra injustitia distrib. appetitum rat: corrumpit in dividendis publicis rebus. Idq; vel excedendo, nimium quàm decet; vel deficiendo, minus quàm par est, cuilibet ex publicis rebus adli-gnans.

§. 2. Dividitur justitia distributiva in *primariam*. Quæ vel *remunerativa*, vel *tributaria*. Illa est, *justitia distributiva primaria* appetitum rat: in præmiis, ob bonè merita secundum personarum dignitatem publicè distribuendis, dirigere valens, ne ab honestatis scopo aberret; Hæc est *justitia distr: primaria* appetitum rat: in oneribus ac tributis, populo ac civibus pro eorundem qualitate ac conditione rectè imponendu, dirigere valens. Et *secundariam*, quæ aliàs *punitiva* vocari levevit, & est *justitia distrib. secundaria*, appetitum rationalem in pœnis, pro ratione culpæ & personarum dignitate debito modo infligendus, moderari valens.

§. 3. Est itaq; divisio Justitiæ distrib. analogica, seu analogi in-sua analogata. Quia generis inferioribus suis inæqualiter competit & quibusdam primario, alii secundario, sed verè & intrinsecè tribuitur. Nam remunerativa & tributaria sunt primario justitia distributivas punitiva secundario. Ratio, quod in præmiis & oneribus distribuendis per omnia proportio geometrica, seu personarum dignitas & qualitas observetur, in pœnis autem exigendis tantum ex parte, ut ex subsequentiibus elucescet.

§. 4. Quod autem hæc divisio analogica sit justa & adæquata, probatur. Nam Exhaustio totam latitudinem divis. nec justo latior, nec

rior, nec justo strictior est, siquidem omne distribuendum publicè, aut sunt præmia, aut onera, aut pœnæ. Nec quicquam publicè dividendum adferri potest, quod non ad prædicta tria commodè referri possit. 2. Membra dividenda sunt verè opposita, cum opposita ac diversa habeant objecta. Aliud enim sunt onera, aliud præmia, aliud pœnæ. Jam ubi datur aliud & aliud, ibi diversum existit. 3. Quot dantur objecta externa specialia, sub uno aliquo generali contenta, tot dantur species virtutum illius generis, quoniam externa objecta specificant virtutes & novas species inferunt. Atque tria dantur objecta externa specialia, uti dictum, sub uno aliquo generali, quod specificat Justiciam distributivam, contenta. E. tot quoque justitiae distributivae species. 4. Et præmia & onera & pœnæ sunt publicæ res: spectant enim ad communem civitatem, faciuntq; ad publicam Patriæ salutem promovendam. Quippe præmiis boni Cives alantur, oneribus Respublicæ ac communio servetur, & pœnis mali supprimantur, ne Respublicæ noceant, eandemq; destruant. Deinde quoque pro ratione status & temporis, item pro ratione factorum præmia, pœnæ & onera inæqualiter juxta personarum dignitatem vel per omnia, vel ex parte, inter cives distribuenda sunt. Per omnia seu quoad rem & circumstantias præmia & onera. Nam personæ, quæ in summis constitutæ sunt dignitatibus, majora pro meritis accipiunt munera, quam quæ ex infima plebe, uti communis edocet praxis. Sic Dux bellicus majoribus, pro obtenta ab hostibus victoria, exornatur præmiis quam gregarius miles. Item plus accipit ille, qui ex gregariis militibus primus murum conscendit, quam qui non. Insuper etiam onera pro diversis civium statibus ac ordinibus imponuntur, uti communiter ratione tributorum exsolvendorum cives in quatuor ordines dispescuntur, & secundum illos suum cuiq; decernitur onus. Ex parte in nonnullis delictis & communiter ratione circumstantiarum pœnæ juxta personarum dignitatem insiguntur. Ita si Nobilis & rusticus idem committant delictum, ab illo frequenter vel ordinaria pœnâ non exigitur, vel pœna illa quoad nonnullas circumstantias corrigitur ac mitigatur: Hic verò ordinariam pœnam formaliter subire tenetur, ut judicia publica & quotidiana confirmant experientia. Sic Nobilis ob homicidium vel in exilium, vel in carcerem, mititur: Rusticus è contra capite punitur. Vel si ambo Nobilis & Rusticus ordinariam

ordinariam certis de causis subire tenentur poenam, variat tamen utriusq; poena in nonnullis circumstantiis. Nam ab hoc carnifex interdiu in publico loco supplicium capit; ab illo honoratior quidam noctu vel summè manè in loco obscuro ac privato. Hinc sequitur & remunerativam & tributariam & punitivam Justitiam distrib: esse veras Justitiæ distributivæ species analogicas. Et hanc in illas verè dividi. §. Divisio hæc cum suo diviso reciprocari potest. Verè namq; dico: *O. Justitia distrib: est vel primaria vel secundaria.* Et *Q. est justitia distrib: primaria vel secundaria, est verè justitia distributiva.*

§. 5. Præmia esse adæquatum iustit. remunerativæ objectum, facile patet. *Siquidem præmia sunt munera, quibus benè facta compensamus, quæq; redhostimenti loco damus. Deinde munera sunt virtutis præmia, & justitia distrib: virtutem antè, quàm præmia confert, prærequirit.* Eâdem quoque facilitate probatur, onera & poenas esse objecta adæquata iustit: & tributariæ & punitivæ, *cum idèo audiant tributaria & punitiva justitia, quòd circa tributa onera & poenas versentur.* Et uti boni præmiis, sic mali poenis afficiendi sunt. *Item, qui communem tranquillitatem & Patriæ salutem expectunt, illi quoque tributa ad conservandam illam in publicum conferre debent.*

§. 6. *Opposita Specierum justitiæ distributivæ sunt: Injustitia remunerativa; injustitia tributaria; & injustitia punitiva, uno nomine utrumque extremum tam excedens, quàm deficiens completenti.* Cujuslibet autem definitio ex suæ virtutis definitione, antè datâ facile formari potest, cum opposita se invicem exponant ac definiant. Sic *Injustitia remunerativa, est injustitia distributiva, appetitum ration. in præmiis ob benè merita secundùm personarum dignitatem vel plus, vel minus, quàm decet, distribuendu, corrumpere valens.* Et sic in cæteris.

§. 7. *Media, quibus præmia, onera & poenæ distribuuntur, sunt: iudicia publica, decreta Principum, Senatus consulta, Consilia Academica, plebiscita &c. uti quotidiana docet praxis.* Cum enim præmia, poenæ ac onera sint publicæ res, à personis etiam publicis iudiciis; Conventibus ac Conciliis publicis decernenda & publicanda sunt.

○

§. 8. Norma

§. 8. *Norma, ad quam præmia, onera & pœnæ distribuenda, sunt jus tam naturale, quàm positivum, quatenus hoc cum illo exactè convenit, & æquitas. Nam uti jus h. lex naturæ virtutem moralem ut sic normat, ita quoque virtutes morales in specie ac præprimis justitiam distributivam & ejus species metitur. Deinde justitia distributiva, quæ haud nititur jure & æquitate, nulla est, & non tam justitia quàm injustitia vocanda. Tandem hoc demùm justum, quod juri & æquitati consonum ac conforme. Hinc tot leges diverso loco, ac tempore sunt conditæ, ut secundum illas justitia conformetur. Ad quas etiam, æquitate servatâ, decreta ac sententiæ de præmiis, oneribus ac pœnis feruntur. Et tantum de sectione thetica, sequitur jam*

Sectio posterior ἀνθητική.

MEMBR. I.

De natura & definitione specierum Probitatis publicæ,

ARTIC. I.

De Fortitudinis definitione.

§. 1. *Aristoteles l. 2. c. 7. & l. 3. c. 9. Eth. ad Nicom: definit fortitudinem per mediocritatem circa timores fiduciaq;. Verba ipsius, loco posteriori, hæc sunt: Καὶ πρῶτον τῶν ἀνδρῶν. Ὅτι μὲν ἐν μεσότητι ἐστὶ τῶν φόβου καὶ ἰσχύου. Quam & Eustach: de S. Paulo part: 3. tract: 3. disp: 2 §. 3. quest: 1. Adrianus Heerboord disp: 19. Th: 3. & 4. coll. Eth. aliq; comprobant. Sed hæc Aristotelis definitio, partim imperfecta; partim inadequata est. Imperfecta est, cum destituatur genere, quod tamen maxime in definitione perfecta requiritur: inadequata est, quippe spuriam contineat differentiam specificam. Nam primò Mediocritas non potest ullo modo specificare fortitudinem, cum eidem vel ratione generis vel ratione propriæ naturæ, per se non insit, sed tantum accidat, confer Membr: 1. sect: Antith. Disp: no-
stra de Virtute mor: in genere. Deinde metus & fiducia nec internum
acc*

nec externum Fortitudinis objectum sunt, uti subsequenti membro fusius probabimus, adeoque nec illam ad certam virtutis moralis speciem determinare possunt. Tandem posito, & non concesso, Mediocritatem circa timores & fiducias esse specificam Fortitudinis differentiam, in concreto non in abstracto illa efferri debebat, quoniam differentia speciei, de sua specie in concreto non in abstracto etiam secundum Aristotelem predicatur. Quod & exemplorum inductio demonstrat.

§. 2. *Quidam Aristotelici complere satagunt datam ab Aristot. Fortitudinis definitionem, adjiciendo genus; quod putant esse vel absolute virtutem, ut: Gurk: disp: 5. Eth: th: 8. Sengverd: disp: 14. th: 3. Went: exercit: 3. Colleg: Eth: Gol: l. 3. c. 6. Eth: Donalds. l. 3. c. 1. Synops: Phil: mor: Corn: Mari: disp: 6. Eth: th: 13. Burgersd: e. 14. Id. Phil: mor: Wendl: una cum Iacobo Marric. 7. Eth: th: 7. Rudr. disp. de Fortitud. & alii: Vel virtutem moralem, ut: Spengl. Exercit: Eth: V. Arr: 1. prac: 1. Casus l. 3. quest: 6. Spec: mor: Berck: l. 2. c. 34. Exercit: Eth: Libenth: Exercit: 7. th: 4. Colleg: Eth: Itterl. 3. c. 2. prac: 1. Philos: mor: Synops: & reliqui. Vel habitum electivum, ut: Abr: de Racon: parte poster. tract: priori disp. ult: sect: 3. qv: 2. Ari: 1. Membr: 3. & 4. Phil: mor: & Henr. Iul. Scheurl. disp: X. Eth: aph: 4. Verum omnes substituunt genus remotum & incompletum, cum tamen definitio logica requirat genus completum & proximum, quae de re Logici. Nam & virtus moralis & habitus electivus sunt genus remotum Fortitudinis, siquidem inter virtutem moralem i. habitum electivum & Fortitudinem adhuc medietas i. interjaceat probitas, uti disp. nostr: de V. M. & Probitate declaravimus. Quinimo Sengverd. & Berckring: admittunt divisionem virtutis moralis, in pietatem & probitatem. Mirum itaque, quod sui oblitii, Fortitudinis genus statuunt virtutem moralem.*

§. 3. *Cicero cum Chrysippo. l. 4. Tusc: quest: Fortitudinem definit per scientiam rerum perferendarum s. affectionem animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore. Quibus etiam Socrates & A. Gell: l. 12. noct. attic: adsentiantur. At primo neque scientia est genus Fortitudinis adæquatum, quia non contemplabile sed agibile quid Fortitudo; nec res necessaria sed contingens est, & per consequens non veritatem sed bonitatem pro fine habet. Neg. mentis s. animi affectio est ejusdem generis proprium, cum Fortitudo so-*

mnisque virtus non naturâ, ut affectiones, nobis insint, sed crebris
actionibus parentur, nec per se, sed per accidens ac contingenter
homini competant. Deinde non in rebus quibusvis perferendis,
sed morte bellicâ tolerandâ Fortitudo consistit, ut postea pluribus di-
cetur. Hinc, nec res perferendâ s. pati ac perferre, fortitudinem
specificare possunt.

§. 4. *Piccolom: grad: IV. c. 29. Phil. mor.* talem Fortitudinis
definitionem adfert: *Fortitudo est moderatio formidinis & confidentiæ
erga ea terribilia, quæ ad salutem corporis pertinent, appetitui irascendi,
competens, ut inde honestæ prodeant actiones.* In hac Fortitud. defi-
nitione, à Piccolomineo tradita, tria præprimis notamus. 1. quod mo-
derationem, tanquam actionem, fortitudinis genus male inferat.
Cum Fortitudo sit virtus mor. & per consequens qualitas. Quo-
modo itaque qualitas per actionem definiri potest? Nonne definitio-
rum & genus illius ejusdem prædicamenti, juxta tritum Logicorum
canonem, esse debent. At qualitas & actio sunt diversa predica-
menta secundum communem Philosophorum sententiam, adeoq;
se invicem definiri nequeunt. 2. quod formidinem & confidentiam,
internum fortitudinis objectum & terribilia quæ ad salutem corporis
pertinent, externum ejusdem objectum præ se ferat: Cum tamen
neutrum Fortitudini aptissimum sit, ut postea confirmabimus. 3.
quod appetitum irascibilem fortitudinis subjectum constituar. Cum
tamen appetitus sensitivus ad quem spectat appetitus irascendi, ut
cæteras, quas paulò post adducemus, raceamus rationes, pro fine ha-
beant non honestatem, sed jucunditatem, seu voluptatem ac dolores
s. molestias, teste ipso *Piccol. grad: I. c. 5. & 13. Item grad. II c. 2.*
Quomodo igitur ex moderatione hac, competente appetui irascibi-
li, honestæ progredi possunt actiones. Hinc patet, Piccolomineum
sibi in prædictâ fortitudinis definitione maximè contradicere.

§. 5. *Alsted: I. 21. c. 17. Enclyop: Phil:* sic definiendam fortitu-
dinem putat: *per quam homo res arduas intrepidè suscipit & res adver-
sas patienti animo sustinet.* Sed Alstedius in hac sua definitione
omittit genus 2, nimis generaliter objectum fortitudinis externum
effert, de quo postea, 3. Illam in concreto proponit, siquidem fortio-
dinem ad certum subjectum nempe hominem determinat, cum ta-
men omnis definitio in abstracto, non in concreto proferri debeat.

Quare

Quare & membr. 1. Art. 1. §. 3. prioris sectionis prædiximus, nos fortitudinem h. l. non concretivè, sed abstractivè sumere. 4. Actus cum ipso habitu fortitudinis confundit, ac respectu actuum illam definit, cum oporteat, illam respectu habitus definiri: Nam non opus est, ut fortis continuo actu res arduas sustineat, sed sufficit, quòd illas sustinere possit, quando liber ac decet. 5. Divisionem in definitionem fortitudinis infert, quæ tamen sunt distinctissimæ notiones secundæ logicæ & inter se non confundendæ. Siquidem postea c. 1. fortitudinem in suscipientem & sustinentem dividit.

§. 6. *VVendelinum l. 2. c. 12. Phil: mor:* Fortitudinem ita quidem definisse comperimus, quod sit *probitas, per quam excelsum & invictum in rebus arduis tenemus animum.* Veruntamen & hæc definitio suo laborat vitio. Nam 1. omittit *VVend:* differentiam fortitudinis genericam, quòd sit probitas publica, vel falsam subintelligit, quòd sit probitas ad nos relata. Qua de re egimus in disp: nostra de Probitate. 2. Adferens generale quoddam fortitudinis objectum, arduas nempe res, eandem non rectè specificat. 3. Eandem in concreto effert, uti hæc indicant verba: per quam excelsum & invictum in rebus arduis tenemus animû. Quod contra bonæ definitionis leges. 4. Eandem à Magnanimitate & Patientia abstrahit, cum tamen fortitudo sit species speciosissima, ut antè dictum, quæ ulteriorem non patitur abstractionem. 5. Verbis, actum non habitum designantibus, illam proloquitur.

§. 7. *Joh: Rodingo l. 2. c. 1. Eth:* hæc fortitudinis definitio arri-det: *Fortitudo est virtus, animum corroborans.* Quæ tamen & incon-veniens respectu generis, dum remotum non proximum continet, & inadequata respectu differ: specificæ: quæ partim nimis generalis, ut cuius alii competat virtuti, partim imperfecta, cum destituatur objecto externo, quod aliàs fortitudinem specificare debet.

ARTIC: II.

De Justitiæ distributiæ definitione.

§. 1. Iustitiam distributivam nonnulli, ut *VVendel: l. 1. cap: 28. Phil: mor. & Rhodinus l. 4. s. 1. Eth:* prorsus negligunt, cum tamen sit

C. 3

vera

vera & distincta virtus mor: reale ac distinctum habens objectum externum, nempe publicas res civiles distribuendas, in quibus appetitus rationalis quam maximè dirigendus, ne honestatis limites transiliat. *Tataretus in libr: V. Eth: Aristor: ad Nic: quest: an iustitia distributiva & commutativa differant specie?* ita tunc distrib: & commut: iustitiam re ipsâ eadem esse, nec specie distingvi. Verùm, quoniam primò utraq; distinctum habet objectum, *distributiva* res civiles publice distribuendas; & *commutativa* res privatam commutandas, distinctæ quoq; erunt virtutes, cum distincta objecta externa, distinctas quoque efficiant virtutes. Deinde æqualitas seu proportio Arithmetica, uti loquuntur, *in commutativa*; & inæqualitas seu proportio geometrica *in distributiva* observatur *iustitia*. Tandem & diversi in utraq; iustitia actus deprehenduntur; *in commutativa* est actus permutandi res privatas; *in distributiva autem iustitia* est actus distribuendi publicas res. Quæ omnia, ut plura silentio prætereamus argumenta, plus satis de specificâ iustitiæ & distributivæ & commutativæ distinctione testantur.

§. 2. In definitione iustitiæ distributivæ quidam collocant genus remotum iam incompletum nempe virtutem, ut *Casus l. 5. cap. 2. quest: 2. specul: mor: Sengverd: disp: 21. th: 11. Coll: Eth: VVenten: Exerc: 5. Eth: §. 10. quàm completum, virtutem scilicet moralem, ut Spengl: Exerc: Eth: 11. art. 1. præc. 4. Cum tamen omnis definitio genus proximatum non remotum sibi postulet, uti superius etiam monitum. Quidam genus quidem proximatum, ut illi videtur sed ellipticum & inadæquatum, nempe iustitiam particularem quatenus abstrahit à distributivâ & commutativâ iustitiâ, ut *D. Thom: secund: sec: qu: 61. art. 1. Piccol: grad: IV. c. 30. Phil: mor: Eustach: de S. Paulo c. 1. §. 2. qu. 5. Conimbr: disp: 9. in libros Eth: ad Nic: Abra. D. Racon: c. 1. sect: 3. qu: 2. art: poster: membr: 2. propof: 4. Burgesd: c. 22. §. 7. Id: Phil: mor: Corn Mart: disp: 10. Eth: Hier: Prætor: part: 2. sect: 16. Theat: Eth. Dürr: disp: Eth: 9. Heerboard: disp: Eth: 30. VVendler: l. 1: c. 17. §. 11. Gusk: disp: Eth: 11. th: 20. Itter: l. 30 c. 10. synopsis: phil: mor. Rudrauff disp. poster. de Iustitia. &c.**

§. 2. Verùm i. iustitia ab enumeratis autoribus malè dividitur, in universalem & particularem, siquidem iustitia universalis, etiam ipso *Arist: l. 5. c. 2. Eth: ad Nicom: & multis ex recensitis Viris sententibus, nihil aliud, quàm ipsa virtus mor: abstractæ talis, quatenus cæter-*

ras omnes virtutes mor: etiam ipsam iustitiam includit. Quod si
 jam universalis iustitia est ipsa V.M. ut sic, quomodo illius species
 esse potest? Et, si species virtutis mor. est, male audit universalis, cum
 una species ceteras includere nequeat. 2. Iustitia distributiva & com-
 mutativa non sub una, sed diversis genericis differentiis maxime di-
 stant, cum distributiva iust: ad *publicam*; commutativa ad *privatam*
 spectet *probitatem*, sicut illarum objecta demonstrant, & nos ante
 de iustitia distrib: probavimus. E. nec ab illis, commune utriq; ge-
 nus, particularis nimirum iustitia abstrahi potest. 3. Definitiones
 iustitiæ particularis, quas prædicti suppeditant autores, inadæqua-
 tæ sunt ad sua inferiora. Nam & iusto latiores, & iusto strictiores sunt.
 Sic iusto latiores & strictiores sunt hæ, quas inter alios tradunt, Ra-
 con. & Burgersd: c. l. Iustitia particularis est, vel, *quæ privatim alicuius*
boni curam gerit; vel: *quæ circa bona versatur, in quibus prospera vel*
adversa fortuna collocari solet, evolvæ Arist: l. 5. c. 1. & 2. Eth: ad Nic.
 Nam & liberalitati ac Magnificentia; item Modestia & Magnanimi-
 tati, prout hæ ceu distinctæ species virt: mor: ab Aristotele habentur,
 competit, quæ itidem circa bonum particulare alterius, ut & circa
 bona, in quibus prospera vel adversa fortuna collocari solet, np. circa
 pecuniam & honores versantur. Nec quicquam valet restrictio seu
 limitatio, quam Burgersd. subnectit, quod bona fortunæ non quo-
 vis modo in iustitia spectentur, sed quatenus aliis jure debentur,
 quodque hoc differat à liberalitate, quæ versatur etiam circa pecuni-
 am, sed indebitam. Nam & pecunia, quam erogat liberalis, non
 est indebita, cum ex lege natura, quæ nos obligat, erogari debeat.
 Et posito, sed non concessio, liberalitatem versari circa pecuniam in-
 debitam: non tamen modestia circa honores indebitos, sed ma-
 xime debitos, ob virtutem antecedentem, occupata est. Deinde non
 omnis iustitia particularis versatur circa bonum particulare fortunæ,
 quippe pœnæ, quæ itidem objectum iustitiæ particularis secun-
 dum Arist: non tam bona, quam mala fortunæ sint. Sic etiam
 iusto strictior hæc, quam & Golius & Spengl. c. l. & alii in scenam
 producant: *Iustitia particularis est virtus, quæ in distributione & com-*
mutatione rerum servat mediocritatem seu justam aequalitatem, quæ u-
nicuiq; id tribuitur, quod ei debetur. Quoniam suas includit species,
 & non tam definitio, quam divisio est, Nullum autem genus suas
 species formaliter infert.

S. 3. Sp. 9.

§. 3. *Specificam* distrib: Iustitiæ differentiam variè quoque cor-
rumpunt, quando *vel inadaquata* iustitiæ distrib: adsignant objecta,
de quibus paulò pòst; *vel terminis*, medio personæ & proportionē
geometricā, eandem obscurant. Qua de re *VVendel: l. 1. c. 28. Phil:*
mor: rectè pronunciat: Ad explicandam Iustitiæ naturam terminis
geometricis non adeo opus videtur esse: plus illi caliginis quàm laboris of-
fundunt. Sensus namq; & significationes horum terminorum in
Ethnicis non primo intuitu patefcunt, sed prolixiori quodam indi-
gent commentario. Et si perspicuis res tradi potest verbis, quid o-
pus est obscuris ac ænigmaticis; *vel quando divisio Just: distr: loco*
ipsius differentia specificæ, ponitur, quod sit, quæ mediocritatem seu
proportionem geometricam servat in præmiorū, munerum ac onerum
distributione, confer inter multos *Gol: l. 5. c. 1. Eth: Arist: Spengl:*
disp: Eth: II, art: 1. præc: 4. Guik: disp: Eth: II, th: 20. Burgersd: c. 22. S. 7.
& 8. Eth. Iustitia namq; distributiva in remunerativā, punitivam & tri-
butariam dividitur, quarum objecta, præmia & onera, vid.
Membruult: *Art: II. sect: prior.* *Vel quando, æqualitatem servare*
in distributione præmiorum &c. differentia specificæ Iustitiæ distrib:
statuitur, ut à Libemb: c. disp: th: 26. cum non æqualitas, sed in æqualitas
in distribuendis præmiis pœnis & oneribus servetur, uti c. membro
& art: sect: prioris exposuimus.

MEMBR: II.

De Subjectis & objectis specierum prob:
publicæ,

ART: I.

De Subjecto & objecto Fortitudinis.

§. 1. *Subjectum QUO* Fortitudinis nonnulli putant esse *appetitum*
irascibilem, veluti *Conimbr: disp: 9. quest: 2. Art: 1. in libr: Eth: Arist:*
ad Nic. Piccolom: grad. 4. c. 29. Guik: disp: 5. Eth: th: 9. Berckr: l. 2. c. 33.
Exerc: Eth: & omnes illi, qui defendunt, Subjectum Virtutis mor: esse
appetitum sensitivum. Sed falsò, ut ex sequentibus patebit rationi-
bus. Nam 1. Appetitus irascibilis est facultas appetitus sensitivi, qui cum
NON

non sit adequatum virtutis mor. subjectum, confer Membr. III. Sect. post. Disp. nostra de Virtute morali, nec Fortitudinis subjectum erit, quippe eorum eadem ratio. Jam Virtus mor. & ipsius species, respectu subjecti inhesionis sunt idem, uti res ipsa docet, & præterea genus totam naturam, suis communicat speciebus. 2. Quicquid informat hominis mores illud non est in appetitu irascibili. Atqui fortitudo informat hominis mores. E. Majoris consequentia hæc est, quod mores sint actus voluntatis, non appetitus sensitivi, necdum appetitus irascibilis. Minor prob. quia Fortitudo est virtus moralis, concedentibus etiam adversariis. 3. Si appetitus irascibilis est subjectum inhesionis fortitudinis, etiam affectus erunt objectum virtutis mor. Sed falsum posterius, uti prædicta disp. nostra de V. M. evicimus. E. & prius, Consequentie ratio, quoniam appetitus irascibilis continet in se affectus malos, uti communiter loquuntur, 4. Quod est in appetitu rationali non est in appetitu irascibili. Atqui Fortitudo est in appetitu rationali. E. Major per se clara, cum appetitus irascibilis non sit appetitus irrationalis. Min. firmatur, quod fortitudo sit habitus animi, & per consequens in animo: animus autem est rationalis, non irrationalis. 5. Sententia hæc nititur falsa hypothesi, ac si fortitudinis objectum internum sint metus & fiducia, & externum formidabilia ac fiducia. Quam si destruxerimus, ultro corruet, subjectum fortitudinis esse appet. irascibilem.

§ 2. Internum Fortitudinis objectum Aristoteles cum suis sectis statuunt φόβος καὶ ἰσχυρὰ timores & fiducias, vel ut alii exprimunt, timiditatem seu metum, & fiduciam seu temeritatem. Non quatenus illa sunt vitia, sed quatenus sunt affectus per fortitudinem corrigendi, inspice Arist. l. 3. c. 9. & 11. Eth. ad Nic. D. Thom. Sec. sec. q. 123. Art. 3. S. Th. Eust. de S. Paulo part. 3. tract. 3. disp. II. §. 3. gv. 1. Ethic. Abr. D. Racon. disp. ult. sect. 3. qu. 2. Art. 2. membr. 3. & 4. de virtutibus. Gol. l. 3. c. 6. Donaldf. l. 3. c. 1. synopsis. Eth. Conr. Dürr. disp. Eth. 7. Went. c. 6. Coll. Eth. Berckr. l. 2. c. 34. Exerc. Eth. Adr. Heerboord. disp. 19. Coll. Eth. Sengu. disp. 14. Coll. Eth. VVitzend. in civ. Prud. §. 102. litter. l. 3. c. 2. synopsis. Phil. mor. & alios plures. Quodj autem metus & fiducia, inadæquatum Fortitudinis objectum internum sint, his firmatur argumentis. 1. N. affectus sunt objectum Fortitudinis. Metus & fiducia sunt affectus. E. Majoris ratio hæc est, quod Fortitudo virtus mora-

tamen optimè notum, res ipsas, non intellectum hominis, qui fallax, veritatis normam esse: Et non autoritate, sed rationibus pugnandum esse. *Berckring.* quidem *c. l.* multas, quæ contra hoc Fortitudinis objectum internum adferri possunt, solvit objectiones, sed nostras non tangit, nec ullas pro sua sententia, profert rationes.

§. 4. *Externum fortitudinis objectum generale Aristoteles ac socii ejus volunt τὰ ὑπὲρ ἀλῆα καὶ φοβερὰ, terribilia & fiducialia, non quidem inhonesta sed honesta, & quidem talia quæ sunt secundum hominem, non supra hominem. Quamvis, fortitudinem magis circa formidabilia, quàm fiducialia versari, existiment: speciale mortem bellicam. vid. Aristot. l. 3. c. 11. 12. & seqq. & citatos proximè præced. §. 2. autores. Ast 1. Non generale sed speciale quælibet Virtus requirit objectum externum, cum non tam generale quàm speciale illam determinet, & à cæteris omnibus virtutibus distinguat. 2. Una virtus unum præcisè requirit objectum, non duplex. Aliàs quot dantur objecta externa vel subordinata vel non subordinata tot etiam dantur virtutes vel virtutis, alicujus species. Jam Fortitudo una est virtus & quidem species specialissima, testibus Aristotelicis, idcirco & unicum sibi vindicat objectum, non duplex. 3. Si speciale sufficit objectum, quid opus generali. Sed verum prius. E. & posterius. Quod autem speciale sufficiat, ex prima liquet ratione. 4. Destructâ Aristotelis de interno Fortitudinis objecto sententiâ, & hæc de externo illius objecto facile corrui, siquidem una fundetur alterâ. 5. Et mors bellica viro forti non tam formidabilis ac molesta, quàm læta ac jucunda est, evolve Calum l. 3. qu. 11. *Spec. quæst. mor.* Imperterritio enim animo illam aggreditur & sustinet, honestatis & publicæ utilitatis gratiâ. Nec 6. pro hac sua opinione ullas proferunt rationes, itaq; falsitatem ac infirmitatem illius satis produunt.*

§. 8. *Alsted. Wendel c. membr. 1. Art. 1. §. 5. & 6. hujus Sect. loco, & alii, res arduas externum fortitud. Objectum esse docent. Sed inconvenienter ac sine fundamento. Inconvenienter, cum primò res arduæ sint termini æquivoci: dantur enim res arduæ aliæ divinæ, aliæ humanæ; aliæ honestæ, aliæ inhonestæ. Quodvis autem objectum determinatum, non æquivocum esse, atq; intellectui unum simplicem conceptum sistere debet. Deinde res arduæ nimis generale Fortitudinis objectum inferunt, & alias virtutes, magnanimitatem,*

uti vocant & patientiam præprimis ad fortitudinem contrahunt, cum tamen fortitudo sit virtus specialissima, seu species infima & per consequens specialissimum quoque requirat objectum. Tandem mors bellica philosophicè haud commodè dicitur res, quia non tam res seu ens, quam non-Ens seu Ens privativum. Est enim mors nihil aliud, quam privatio vitæ. *Sine fundamento*, quia nullis hanc suam doctrinam stabiliunt argumentis.

§. 6. Prius quædam objectio, quam hunc finiamus articulum, solvenda, quæ talis: *Si adequatum Fortitudinis objectum externum mors bellica, sequitur fortitudinem non esse habitum, qui crebris paratur actionibus.* Consequentie ratio, quia mors non nisi uno absolvitur actu & homo tantum semel non bis, vel ter ordinariè mori potest. Sed Resp. *Primò*, in actionibus honestis ac virtuosis non semper actum, sed & ipsam spectari voluntatem ac intentionem, ita, ut voluntas acceptetur pro facto. Hinc trita illa: si desunt vires; tamen est laudanda voluntas, &: In magnis voluisse sat est. Sic in viro forti non præcisè actus, bis vel ter pro patria mori, sed voluntas attendenda. Nam, si viro forti per naturam liceret, centum mortes pro salute patriæ oppeteret. *Deinde* duplex actus in fortitudine, *alacriter mortem bellicam ageradi, & intrepide sustinere.* Licet posterior per naturæ cursum iterari nequeat sufficit tamen, quod prior sæpius reperi possit, & tandem posteriori actu, tota, virtus consummetur: Et Vir fortis non eo proposito bellum ingreditur, quod statim morti succumbere, sed quod hostes fundere, libertatem Patriæ vindicare, & victoriam ab hoste reportare velit, ita tamen, ut, si res aliter contingat, etiam pro patria mori non recuset.

ART. II.

De Subjecto & Objecto Justitiæ distrib.

§. 1. *Subjectum* Justitiæ distrib. ut in fortitudine, *Piccolom. grad. 4. c. 30. Phil. mor.* constituit appetitum irascendi. Verum quoniam, appetitus irascibilis, ut cætera taceamus argumenta, quæ superius Art. I. §. 1. Membri hujus contra Piccol. & alios in aciem duximus, in excolendâ justitiâ distrib. non est corrigendus, dum ejus objectum, quale in genere publicæ res distribuendæ, & in specie, præmia, pœnæ & onera publica, illum non afficiunt, nec commovent.

vent. Quid enim justitiæ distributiæ cum appetitu irascibili? Illa ex appetitu rationali non sensitivo procedit, ac præviis consultatione & electione juxta dictamina sanæ rationis & juris normam, quod appetitus sensitivus in suo formali cognoscere nequit, suum cuique ex publicis rebus tribuit. Præterea nec injustitia distributiva semper conjunctos habet affectus appetitus irascibilis, odium, iram &c. sed & quandoque affectus concupiscibilis appetitus, amorem, gaudium &c. sic multi præmia alicui indebita ex amore ac favore decernunt, & debitas alteri pœnas non decernunt ex iisdem affectibus.

§. 2. *Objectum Justitiæ distrib. externum quidam* volunt. sola præmia, honores, dignitates, Magistratus, &c. *Gatk. disp. 11. th. 2. Scrib. l. 5. c. 2. Eth. Quidam præmia & pœnas ut: Eust. de S. Paulo pari. 3. tract. 3. disp. 2. §. 2. quæst. 5. Conimbr. disp. 9. qv. 1. Art. 2. in libr. Eth. Aristot. ad Nicom. Abra D' Racon. c. sapè disp. sect. 3. quæst. 2. Art. postremo; membr. 2. propos. 4. Cas. l. 5. c. 2. quæst. mor. Burgersd. c. 22. §. 8. Id. Ph. Mor. Sengv. disp. 21. th. 11. Colleg. Eth. Hier. Præf. sect. 16. part. 2. theat. Eth. Libent. Exerc. 13. th. 26. Coll. Eth. Nonnulli præmia & onera, ut: Gel. l. 5. c. 2. Eth. Horn. l. 3. c. 12. num. 1. Heerb. Disp. 30. th. 5. Coll. Eth. Corn. Mart. disp. Eth. 7. Dürrius disp. Eth. 9. th. 9. Went. Exercit. Eth. V. lit. l. 3. c. 10. synopsis. Phil. mor. Alii, præmia, pœnæ, onera, velut Spengl. disp. Eth. 11. in ex Jêo. pr. 4. art. 1. &c. Verùm ab omnibus quàm maximè peccatur. Nam I. confundunt justitiam distrib. abstractè talem, cum contractè tali, seu ipsam justitiam distributivam cum suis inferioribus ac speciebus. Præmia, pœnæ & onera non sunt objecta justitiæ distributiæ ut sic, abstractè talis, sed sunt objecta specierum illius uti Art. 2. membr. III. sect. prior. monstravimus. Jam objecta specierum & generis inter se invicem non sunt permutanda, ne confusa rerum cognitio suboriatur. 2. Justitia distributiva est certa species, juxta prædictos autores, justitiæ particularis, & per consequens una virtus. Jam una virtus unicum etiam requirit objectum non multiplex. Alias ubi dantur plura inter se distincta objecta externa, ibi quoque dantur plures virtutes, quemadmodum inductio exemplorum comprobatur. 3. Quidam ex allegatis autoribus, utpote Eustachius de S. Paulo; Conimbricenses, Abra D' Raconis & Libent. dividunt justitiam distributivam in remuneratoriam & punitivam, & hujus objectum pœnas, illius munera & præmia faciunt. Quo jure*

igitur illa objecta, quæ sunt specierum, constituunt objecta generis, itaque divisionem rei cum definitione confundunt? nonne hac ratione absurda quæque committunt? 4. Posito, ac non concessio, unicam virtutem plura continere objecta, neuter tamen adductorum autorum, excepto Spenglero, objecta, distributivæ justitiæ complete recenser. Non enim sola præmia, nec sola præmia & pœnæ, nec sola præmia & onera, sed & onera & præmia & pœnæ sub distributionem civilem cadunt, uti *Ars. 2. Membr. 3. sect. prior.* satis declaravimus.

§. 3. *Alsted. l. 21. c. 20. Encycl. Phil. externum justitiæ distr. objectum ponit jus publicum. Alst 1.* Non explicat Alsted. quid per *jus publicum* intelligat. Vel enim indigitat jus naturæ, quod cap. 7. c. libr. jus commune vocat: vel, quod aliàs JCtis jus publicum dicitur, & communiter describitur, quod à supremo fertur Magistratu; & in Romano Imperio est illud, quod hodie Imperator cum Statibus Rom. Imperii in Comitibus sancit & mandat, Libenth. Exerc. 13. th. 54. Coll. Eth. Quodque Statum & regimen Imperii Romano-Germanici concernit. Braudl. in epit. *Jurussrud. publ. l. 1. c. 1.* ac consistit in primis in Aurea Bulla, Recessibus Imperii Imperatorisq; Capitulationibus, idem c. l. & *Wurms. exerc. I. qv. l. de Jure publico. Sed neutrum est adequatum justitiæ distr. objectum. Non jus naturæ*, quippe hoc norma omnium Virtutum moralium, & generaliter omnes virtutes mor. concernit. Justitia verò distributiva est specialis quædam virtus mor. E. & speciale postulat objectum. *Non jus*, quod JCtis communiter *publicum* dicitur, quoniam hoc non, circa præmia, pœnas & onera in qualibet civitate distribuenda, versatur, sed ejus objectum, teste Braudl c. l. est Imperium Romano-Germanicum ejusque Status & regimen. 2. Justitia distrib. magis jus privatum s. civile, quàm publicum respicit. Nam pleraq; præmia ex privato cujusvis Civitatis, non publico Rom. Imperii fisco frequenter conferenda: & pœnæ secundum jus civile communiter decernuntur, ut & onera publica pro cujusvis Magistratus arbitrio imponuntur 3. Jus non tam objectum quàm norma Justitiæ distributivæ est. Quod & *Alsted. c. 7. l. 21. Encycl.* admittit, ubi dicit: *norma justitiæ universalis est lex s. Jus.* Iam quod de universalis, illud etiam, de particulari valet justitia, cum hæc illi subordinata sit, etiam juxta mentem Alstedii.

MEMBR. III.

MEMBR. III.

De oppositis ac divisionibus specierum Probitatis publicæ.

ART. I.

De Oppositis ac divisione Fortitudinis.

§. 1. *Tataretus in libr. III. Eth. Aristot. ad Nic. quest. an Fortitudo sit Virtus? quadruplex Fortitudinis extremum enumerat: Audaciam, quam vocat excessum in aggressu; Codardiam, quæ ipsi defectus in aggressu; Timiditatem, quam dicit excessum in fuga vel defectum in expectatione: Et intimiditatem, quam vult defectum in fuga, vel excessum in expectatione; subjicit v. audaciam propriè non opponi timiditati, sed Codardiæ; & intimiditatem timiditati. Verùm primò Ectia præter necessitatem non sunt multiplicanda, iam de necessitate non est, quatuor fortitudinis opposita excogitare, cum duo sufficient, & omnia, quæ in fortitudinem peccant, ad hæc duo, Timiditatem atq; Audaciã commodè referri possint. Deinde extrema hæc voce quidem discrepant & quadruplicia sunt; re ipsa, verò non nisi duplicita. Nam quid Audacia aliud quàm intimiditas & timiditas aliud, quàm Codardia? Audax nihil timeret, & qui Codardiã laborat, omnia timeret. Quinimo defectus in aggressu nonne timiditatem, & defectus in fugã honestã annon ipsam arguit audaciã? Hinc & Goltz l. 3. c. 7. rectè pronunciat: τὴν ἀφοβίαν s. metus vacantiam esse cognitam audaciã. Tandè sententia hæc Tataretis ex falsa enascitur hypothesi, ac si pro diversitate actuum in fortitudine, etiam diversa constituenda sint extrema. Cùm tamen illi actus in fortitudine aggredi & sustinere resp. fortitudinis incompleti sint, & ambo ad fortitudinis habitum perfectum necessario requirantur ac pertineant, Extrema verò non respectu partis, sed totius s. universæ virtutis constituenda sunt, & totam virtutem non partem illius respicere debent, conf. Berk. l. 2. c. 34. Exercit. Eth:*

§. 2. *Piccol. grad. 4. c. 29. in idem quatuor Fortitudinis opposita subministrare ex Aristotele satagit. Verba illius hæc sunt. Declinatio ad parum in formidine caret nomine proprio; dicitur tamen, quæ eo habetur*

ad habitum est prae dicitur ἀνάλγητος i. e. doloris expertus & παρρησιώδης seu insanus. Qui labitur in Formidine ad nimiam dicitur δειδώς ignavus & timidus. Declinans ad parum in confidentia δειδώς ignavus & timidus: Ad nimium autem vergens confidens dicitur ἰσχυρός audax. Sed i. quid opus est terminis ludere: & illos praeter necessitatem cumulare? Nonne audax merito doloris ac timoris expertus vel insanus dicendus? siquidem, abjecto timore, tanquam insanus in pericula ruit? Et annon ille, qui timidus est, plane non confidit? Nam ubi timor, bi nulla confidentia. 2. Fluit haec opinio ex falsâ hypothese, quasi Fortitudinis objectum intrinsecum metus & fiducia sint: Quam ubi superius removimus, ultrò Piccol: sententia de quadruplici Fortitudinis extremo decidit ac evanescit. 3. Concedit Piccol: c. l. extrema haec summopere consimilia esse: Cur itaq; eadem numero distinguit; quippe quæ similia, eadem sunt, & non distincta. Nec valent, quæ subjicit: Potuisset Aristoteles ob eam similitudinem & connexionem, unicam medium, duos tantum extrema ponere; per hanc tamen distinctam distributionem distinctius natura & conditio eorum elucescit. Nam haud ibi distinctio excogitanda, ubi non opus est: & distinctio, quæ non habet fundamentum in re, nulla est. Iam non opus in fortitudine & ejusdem extremis tali distinctione ac distributione, cum sine illa satis cognosci ac intelligi possint. Præterea Fundamentum, cui hæc distinctio innititur, nulla. Non enim Fortitudo, formaliter considerata, circa metum & fiduciam occupata est. 4. Piccol: fortitudinis opposita in concreto effert & non definit, cum in abstracto offerri ac definiri debeant. Omnis enim definitio in abstracto non in concreto fieri debet. Et uti fortitudo in abstracto, sic quoq; ejus opposita in abstracto definiri debent. *Burgersd.* t. 14. s. 23. *Dürr. diss. Eth. 7. Th. 12.* *Heerboord. Exerc. 20. th. 3. Coll. Eth. & Berky. l. 2. c. 34. Exerc. Eth.* hæc quatuor fortitudinis opposita in abstracto quidem proponunt, sed æquæ peccant in numero, ac Piccolom. & præterea illa tantum describunt, non definiunt. 5. Committit Piccol: ignorationem elenchi, ac si Aristoteles quatuor fortitudini adsignet extrema, cum tamen non nisi tria l. 3. c. 10. *Eth. ad Nic. ad ferat.* Ut & hoc *Corn. Mart. diss. Eth. 7. & Gol. l. 3. c. 7.* confirmant, & *Golius* expresse addit; ἐπιπέδιον, seu metum vacantiam quam

quam

quàm maximè cognatam esse audacia. Incipit, quidem Piccol. c. 1. Non est absurdum, ut uni medio varia competant extrema, quoniam id medium quamvis nomine sit unum, est tamen ratione & materie distinctum, propterea extrema quoque ponuntur distincta. Resp. Fallum, quòd unum medium s. virtus una, ratione & materie distincta sit. Cùm una virtus unum præbeat conceptum: & una virtus, unicà materia s. objecto determinari debeat. Nec obstat, quòd cum Aristotele duo fortitudini adscribant objecta, metum & fiduciam, cùm illud adhuc *περίμετρον* sit, an verè fiat nec ne; & paulò antè contrarium fuerit evictum.

S. 3. Gol. l. 3. c. 7. Eth. Corn. Martin. disp. Eth. 7. & Went. disp. 3. c. 7. Coll. Eth. secundùm Arist. l. 3. c. 12. tria fortitudinis opposita enumerant: Audaciam s. Temeritatem, à *Ποβίαν* metum Vacuitatem, & Timiditatem, licet Golius, à *Ποβίαν* Audaciæ cognatam esse, dicat. Sed horum sententia eodem laborat vitio, quo proximè præcedens, & iisdem refutatur argumentis.

S: 4. Abra D' Racon. c. sepè disp. Eth. sect. 3. qv. 2. Art. 1. membr. 3. & 4. Alsted. c. 17. l. 21. Encycl. Casus l. 3. qv. 7. spec. mor. quest. Senguerd. disp. 14. th. 20. Coll. Eth. Scribon. l. 3. c. 4. Eth. Hier. Præf. part. 2. sect. 6. Th. Eth. Gutk. disp. 5. Eth. th. 17. Horn. l. 3. c. 5. num. 17. Wendeler. sect. 1. c. 6. thes. 17. Phil. mor. Libenth. Exerc. 7. th. 16. & 17. Coll. Eth. Spengl. Exerc. Eth. 5. præc. 12. 13. & 14. Art. 1. Iterus l. 3. c. 2. th. 13. & 14. Syn. Phil. Mor. Scheurl. disp. Eth. 10. apb. 12. & forsàn alii, quos videre non licuit, duo quidem fortitudinis extrema, Timiditatem & Audaciam admittunt: Sed illa vel planè non definiunt, ut: Scribon. & Alsted. Vel imperfectè, inconvenienter & inadæquatè definiunt: Partim nullum eis adsignantes genus, & in concreto illa describentes, ut: D' Rac. Hier. Præf. Wendeler. Gutk. Horn. Casus, Senguerd. & Scheurl. partim genus remotum tam incompletum, vitium nempe excedens vel deficiens, ut: Iterus; quàm completum, vitium morale excedens vel deficiens, ut: Spenglerus, illis tribuentes: partim inadæquatà illis adsignantes differentiam specificam, respicientem metum & fiduciam, ut ferè omnes. Cùm itaque definitiones Audaciæ & Timiditatis, ab enumeratis Autoribus adductæ, in leges bonæ definitionis impingant, meritò rejiciendæ sunt.

E

S. J. War

§. 5. *Wendel. l. 1. c. 12. th. 5.* unum fortitudinis oppositum, nempe *Mollitudinem* adfert, quam insuper nec definit, nec ut adæquatum Fortitudinis oppositum confirmat. Cum tamen in cæteris virtutibus omnibus duo recenseat extrema, & ipsam virtutem mor, inter duo extrema consistere doceat: Quod & rectum & essentia virtutis moralis consonum est: Nec hoc oppositum nomine unum, & re ipsa diversum ac duplex est, ut ceu Injustitia distributiva utrumq; vitium & excedens & deficiens exprimat: sed tantum unum oppositorum, deficiens nempe, designat. Mollitudo namque proprie nihil aliud, quam timiditatem, hoc loco denotat.

§. 6. *Eustach. de S. Paulo part. 3. tract. 3. disp. 2. §. 3. & Rhodius l. 2. c. 1. Eth.* nullum fortitudinis oppositum consignat, Quod contra Virtutis acquisitæ naturam, quæ vitium tanquam sibi contrariè oppositum respicit, ac postulat.

§. 7. Quod divisionem Fortitudinis attinet *Alsted. c. 17. l. 21. Encycl.* præ aliis nimis operosus est in illa. Dividit enim Fortitudinem quatuor modis. I. *in susipientem, quæ aggreditur; & tolerantem s. sustinentem, quæ persert pericula.* Illa ipsi dicitur *Magnanimitas; hæc Patientia.* II. *in religiosam, quæ in martyribus habet locum; & politicam, quæ vel togata tempore pacis, vel sagata tempore belli.* III. *In illam quæ est in malis propriis vel alienis. Utraque vel in extremo malo, ut est Mors; vel in mediis malis, inq; tum publicis; tum privatis sive sint mala animi, sive corporis s. fortunæ; intellige mala pænæ non culpæ.* IV. *in perfectiorem, quâ honestatis causâ intrepidè versamur circa terribilia, quæ infra nos sunt posita, ut sunt: labores, pericula & mors; & imperfectiorem. Quæ vel irrationalis, quam alii vocant insciam; vel civica; vel experimentalis; vel iracunda; vel fiducia; vel mercenaria quâ quæ, mercede ductus, facit fortiter; vel muliebris, quâ quis in defendendis suis est fortior leone; in defendendis alienis est fortis, ut gallus gallicus. Habet verò Alsted, in nonnullis divisionibus fortitudinis quosdam sibi consentientes. Quoad primam divisionem ipsi *Wendel. c. 13. l. 1. Phil. mor;* ad stipulatur, propugnans, duas Fortitudinis species: *Magnanimitatem & Patientiam.* Illam sic: *Magnanimitas est fortitudo, per quâ magno & invicto animo tū arduas & periculi plenas res aggredimur, tum externa omnia despiciamus.* Hanc ita definit: *Patientia est fortitudo, per quam magno & invicto animo adversa quæque toleramus.**

toleramus. *Secundam* Alstedii divisionem & quidem quoad *primum* membrum, Scholastici communiter, imitantes D. Thomam *sec. secundæ partis summæ Theolog. qu. 124. Art. 2. Confer Eust. de S. Paulo, Conimbricenses c. 1. & alios plures scholasticos; Item Gürk. disp. Eth. §. qu. 3. & VVendl. sect. 1. c. 7. §. 15. & 16. Quoad posterius membrum Gürk. c. disp. 1b. 17. Spengl. disp. Eth. §. præc. 4. Art. 1.* (Hic utramque & togatam & sagatam rursus dividit in domesticam, quando in prosperis & adversis rebus nos præstamus immotos; & politicam, quando reipublicæ causâ varios labores & pericula suscipimus.) *It-terius l. 3. c. 2. 1b. 3. & 4. Libent. Exerc. 7. 1b. 7. Coll. Eth. & fortan- alii comprobant.*

§. 8. *Verum* neuter divisionis Fortitudinis modus, ab Alstedio expressus, & ab aliis approbatus, est genuinus & adæquatus. *Primo enim modus* 1. niritur falsâ hypothesi, quod diversi ac distincti alicujus Virtutis actus etiam diversas illius species inferant. Quam quia §. 1. *hujus Artic.* destruximus, & hæc divisio ultrò cadit. 2. Non in genere quævis pericula tam magna quàm parva, sed in specie mors bellica adæquatum fortitudinis objectum est, uti *sect. prior. Memb. II. Art. 1. §. ult.* evicimus. 3. Posito, sed non concessio, pericula quævis tam magna quàm parva esse adæquatum fortitudinis objectum; non tamen sequitur, hæc objecta, quæ tantum secundum magis & minus differunt, distinctas fortitudinis species efficere, siquidem magis & minus non variant speciem seu novas inferunt species. 4. Patientia non est species adæquata Fortitudinis, quippe quæ non subordinetur Fortitudini, sed ab ipsa longè diversa sit, cum diversum à Fortitudine habeat objectum, nempe res adversas, de quo alibi. Fortitudinis autem objectum externum adæquatum est mors bellica. 5. Magnanimitas à Fortitudine, nec re, nec ratione differt, sed est illius synonymum grammaticum, uti *Memb. I. Art. 1. §. 4. sect. prior.* monstravimus. 6. Hæ fortitudinis species non sunt oppositæ, quod aliàs requiritur, sed subordinatæ, quoniam aggredi & sustinere in resp. ad fortitudinem non opponuntur sed subordinantur. Sunt enim illius actus adæquati.

§. 9. *Secundus Modus* quoad utrumq; membrum itidem falsus. Nam neq; Fortitudo Religiosa seu Martyrium est fortitudo Ethica, quia non nostris viribus & crebris actionibus paratur, sed divinitus sine

nostro studio & crebra exercitatione nobis infunditur. 2. *Quia* non propter bonū publicum civile, sed propter bonū publicū ecclesiasticum seu spirituale sulcipitur, nec tam civitatis, quàm Ecclesiæ salutē promovet. 3. *Quia* non circa bellicam, sed religiosam versatur mortem, non ut hostes bello vincat, & communem adferat tranquillitatem, sed ut fidem & religionem confirmet, & cæteris constantiam in religione addat. 4. *Quia* non tam virtus Ethica seu acquisita, quàm Theologica & infusa, ut primum declarat argumentum, E. nec in Ethicis, sed in Theologia pertractanda. 5. Fortitudo religiosa requirit fidem salvificam & non nisi in piis ac fidelibus datur; Fortitudo aurem bellica seu Ethica illà destituitur, & in impiis ac incredulis etiam deprehenditur. *Neg. Fortitudo politica togata est vera fortitudo.* Ratio 1. *quia* non publica, sed privata modò pericula, injurias ac molestias respicit, & vel planè non vel rarissime cum morte conjuncta est. 2. *Quia* illi non propriè fortes, sed potiùs patientes dicendi sunt, qui quasvis injurias ac molestias civiles devorant. 3. *Quia* circumstantia temporis non variat rē. nec tempus certas Fortitudinis species, togatam & sagatam inferre valet. *Quomodo autem Utraq;* tam sagata quàm togata commodè subdividi possit in domesticam & politicam, uti *Spenglerus* cupit, nō perspicio. Quid enim sagatæ fortitudini eum rebus domesticis & laborib⁹ ac molestiis, quæ nobis, in officiis publicis constitutis, obveniunt. Respectum illa tantum ad mortem bellicam, & ad pericula bellica habet. Omnium optimè verò domestica ac politica fortitudo, prout à *Spenglero* describuntur, uno nomine *Patientia* vocantur, quippe quæ cætera extra bellum pericula, molestias & injurias sibi vendicat, & ad illa patienter ferenda appetitum rationalem moderatur.

S. 10. Adfert *D. Thom. c. 1.* & ex illo scholastici communiter pro fortitudine religiosa hanc rationem: *Ad Fortitudinem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis, & maximè contra pericula, & præcipuè contra pericula mortis, & maximè ejus, que est in bello. Manifestum est autem quod in martyrio homo firmiter confirmetur in bono virtutis, dum fidem & justitiam non deserit, propter imminens pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminet.* Sed R. Confirmat Fortitudo Ethica hominem in bono virtutis acquisitæ, concernente publicam Patriæ salutem temporalem. Martyrium autem

autem confirmat hominem in bono virtutis infusæ, concernente publicam Ecclesiæ salutem spiritualem, ut & hoc D. Thom. indicat, quando subjicit: *dum homo fidem & justitiam non deserit propter imminuentia pericula mortis.* Quid enim fides & justitia, de qua hic Thomas agit, aliud, quàm virtutes Theologicæ ac infusæ, ut ipse factetur in hac sua *sec. sec. part. summa Theol.* Deinde expresse dicit Thomas, fortitudinem Ethicam præcipuè confirmare hominem contra pericula mortis, & maximè ejus, quæ est in bello. E. nec fortitudo religiosa proprie dicta fortitudo, cum hoc non præster & hominem confirmet contra pericula mortis in bello. *Guikiv c. l.* hæc pro fortitudine religiosâ in medium confert argumenta. I. *Ubiunque datur Excellentissima mortis species, ibi datur quoque nobilissimum fortitudinis objectum.* Atqui de martyrio verum prius E. & posterius. Majorem minime negabis. Minor probatur: quia suo sanguine veritatem doctrinæ cælestis confirmant, (martyres). Da hoc quid præstantius. R. *distinguendo inter mortem bellicam & quamcumq.* Non hanc sed illam fortitudo Ethica pro objecto habet. Quâ præsuppositâ dist: limitemus majorè h. m. Ubiunque datur excellentissima mortis bellicæ species, ibi datur quoque nobilissimum fortitudinis objectum. Et sic negatur minor. Nam in martyrio non datur species mortis bellicæ, sed religiosæ. II. *Quia Martyrium est actus fortitudinis præstantissimus.* Nam 1. *Martyres sine oppositione acerbissimam mortem subeunt intrepido animo.* 2. *In re præclara acerbissimos sustinent dolores.* De doloribus res manifesta, quos augent convitia adversariorum. Res præclara est confirmatio veritatis & spectantium. R. Negando, martyrium esse actum fortitudinis. Confundit Clariss. Vir fortitudinem abstractè talem cum fortitudine bellica. Nō enim sunt distinctæ species abstractæ cujusdam fortitudinis religiosæ & bellica fortitudo: Cum religiosam fortitudinem ignoret Ethica, quippe quæ nititur principiis practicis nobiscum natis, & pertractat virtutes acquisitas, non infusæ. Martyrium autem non dependet à principio quodam practico nobiscum nato, nec est virtus acquisita, sed infusa, ut exemplum martyrum docent. Præterea non quælibet mors, nec quilibet dolores etiam acerbissimi, qui sustinentur, reddunt hominem Ethicè fortem, sed tantum bellica mors, quæ est in hominis potestate & summum bonum practicum civile pro fine habet, ut reliquæ

E 3

vir-

virtutes morales omnes: quod non attendit martyrrium, nec est in nostra potestate, sed divinitus nobis conceditur. III. Quia nulla in martyrio datur elabendi cum honestate via. E. hic major fortitudo exercetur. In bello autem nonnunquam elabi potest vir fortis, in d. adornare fugam. R. I. Nec in fortitudine bellica ulla elabendi eum honestate via datur. Nam licet fortis in bello elabi possit, non tamen, disfavente honestate, debet. E. 2. Concedimus, martyrrium majorem fortitudinem esse fortitudine bellicâ: Inde tamen non sequitur, martyrrium esse actum fortitudinis Ethicæ, prout illa in Ethicis definitur debet. Pro cæteris fortitudinis speciebus jam refutatis, Autores nullas adducunt rationes, idcirco illarum dissolutione merito super sedemus.

§. II. Tertius divisionis modus aequè inconveniens ac cæteri. Nam I. oritur ex falsa hypothese, quod Fortitudo ut sic & abstractè talis versetur circa quælibet mala pœnæ ac pericula. Quam ubi superius removimus, & hæc divisio, eidem superstructa, diutius subsistere nequit. 2. Media illa mala Patientiam concernunt, eandemq; specificant. Quæ cum non contineatur sub fortitudine, uti paulo ante demonstravimus, nec hujus species esse potest. 3. Fortitudo propriè talis non circa quamlibet mortem, sed mortem bellicam negotiosa est.

§. 12. Quartus divisionis modus planè nullus & absurdus est. Quoniam I. imperfecta fortitudo non est fortitudo, uti imperfectus homo, ratione essentia, non est homo. 2. Fortitudo est Ens reale positivum, quod in se & sua essentia perfectum. Aut ergo omnis fortitudo erit perfecta, aut non erit Ens: posterius est absurdum, quia fortitudo ut certus habitus & virtus moralis verè existit. E. prius verum. 3. Aristoteles & omnes ferè Ethici species imperfectæ fortitudinis pro impropriis & spuriiis speciebus Fortitud. habent ac reputant, uti Sect. prior, Membr. I. Art. I. §. 3. meminimus.

§. 13. D. Thom. sec. sec. qu. 129. Art. I. & seqq. summe Theol. & qui illum sequuntur Eustach. de S. Paulo c. sepe I. Conimbr. disp. 9. qu. 2. Art. 2. in libr. Eth. ad Nic. Wendler, sect. 1. c. 7. th. 15. & 16. Phil. mor. &c. Partes integrantes ac potentiales Fortitud. seu virtutes, eisdem annexas, volunt Fiduciam seu Magnanimitatem, quâ quis parato promptoq; animo est ad res arduas & difficiles aggrediendâs: Magnificenciam, quâ animus in re, quam semel aggressus est, non succumbit.

bit, sed semper generosè & magnificè se gerit in operando: *Patientiam*, ad quam referunt *Longanimitatem*, quâ quis res magnas, quæ procul absunt, expectat: *Perseverantiam*, cui adjungunt *Constantiam*. *Verùm* 1. Adsignare fortitudini partes & quidem integrantes absolum & ἀφιλόσοφον est. Est enim Fortitudo primò habitus simplex non compositus, & per consequens nec ullas admittit partes, quoniam partes sunt entis compositi non simplicis: & quod simplex est, nullas habet partes. Deinde Fortitudo non est ens quantitativum. E. nec partes integrantes sibi vendicat; Partes enim integrantes spectant ad totum quantitativum. 2. Veram alicujus rei partem vocare potentialem, itidem absurdum, cum omnis pars actualis non potentialis esse debeat. 3. Prædictæ virtutes, ut alias incommode appellant, propriè non sunt partes fortitudinis, quia non participant de essentia fortitudinis, quæ in suscipiendâ ac sustinendâ morte bellica consistit. Nam restringuntur illæ ad quaslibet res arduas & difficiles. Nec ille qui egregiè, moderatè & constantè mortem bellicam fert, magnificus, patiens, perseverans & constans dicendus, sed fortis. 4. Sunt *Magnificentia*, *Longanimitas* & *Patientia* speciales & à Fortitudine distinctissimæ virtutes, cum distinctis à Fortitudine gaudeant objectis. Sic *Magnificentia* pro objecto habet pecunias; *Longanimitas*, quæ alias Mansuetudo dicitur, res iram commoventes; *Patientia* res adversas. Quare & Aristoteles & alii easdem pro peculiaribus agnoscant virtutibus. E. nec partes Fortitudinis. 5. *Fortitudo* & *Magnanimitas* sunt synonyma grammatica; uti sub initio nostræ disputationis monuimus; Præterea *Perseverantia* & *Constantia* itidem sunt æquipollentia grammatica: Et possemus etiam certo modo ac respectu Longanimitatem & patientiam ita vocare: Adeoq; non opus fuisset, tot partes integrantes fortitudinis enumerare, ac terminos præter necessitatem multiplicare. 6. Eodem modo plures fortitudinis partes potentiales effingere possemus, nimirum *Vigilantiam*, *Afiduitatem* &c. cum & Vir fortis in periculis adeundis vigilans & assiduus esse debeat. 6. *Fundamentum*, cui superstruunt hanc suam de partibus integranibus Fortitudinis, *maximè lubricum est*; Colligunt enim hæc fortitud. partes ex duplici illius actus *aggredi & sustinere*, & duas priores ad aggrediendum; duas autem posteriores ad sustinendum requiri dicunt. *Cum tamen non soli actus virtu-*
tem

tem specificent, ac essentiam ejus constituent, sed simul objectum illius externum. Licet itaq; *Magnanimitas, Magnificencia* &c. ex prædictis fortitudinis actibus deriventur; non tamen ideò partes fortitudinis integrales salutarì debent. Pars enim respicit totum & essentiam totius sui refert. Nec actus fortitudinis propriè partes illius dicendi sunt, cum nec fortitudini essentialia sed accidentalia sint; Etenim præter fortitudinem etiam alias virtutes, *Patientiam & Assiduitatem* præprimis determinant. Si per partes fortitudinis integrantes ac potentiales intelligerent ipsos fortitudinis actus, admittere quodammodo ipsorum sententiâ possemus, quamvis locutio esset admodum dura. Quod tamen vix sentire videntur, cum expressè inter actus & partes integrantes fortitudinis distinguant; & hos illarum causas constituent.

ART: II.

De Oppositis & divisione Justitiæ distrib.

§. 1. *Opposita* justitiæ distributiæ paucissimi recentent, sufficere sibi forsitan persuadentes, se Justitiæ particularis oppositum, nempe Injustitiâ particularem retulisse. Cum tamen quælibet species Virtutis sua peculiaris desideret opposita. Quælibet enim Virtus in medio posita; medium autem sine extremis esse nequit: Et similium similis ratio. Prout ergo Fortitudo, Temperantia &c. sua habent extrema; sic quoq; justitiâ distrib. sua requirit. Nec injustitiâ particularis oppositum justitiæ distributiæ esse potest. Cum justitiâ distrib. à particulari sit distinctissima. E. & distincta ab illa postulat opposita. Et licet ex hoc justitiæ particularis opposito, extrema justitiæ distributiæ facillè subintelligantur; definiri tamen debent, cum rerum præcepta expressa, non elliptica Doctores velint.

§. 2. *Alsted. c. 20. l. 21. Encyclop* hæc justitiæ distrib. enumerat extrema: In excessu *Crudelitatem*; in defectu *Lentitudinem*. Verùm hæc opposita ex parte, non per omnia justitiæ distributiæ conveniunt. Concedimus quidem, excessum & defectum in distribuendis pœnis ac oneribus publicis, commodè notari posse vocibus *Lentitudinis* atq; *Crudelitatis*; sed an excessus in conferendis præmiis, quæ primarium nonnulli putant Justitiæ distributiæ objectum commodè dici possit *Crudelitas*, maximè dubitamus:
Siquidem

Siquidem ille, qui in distribuendis præmiis modum excedit, haud aptè dici potest crudelis.

§. 3. *Bürgersd. c. 22. §. 13. & Libentb. Exerc. 13. th. 34. Coll. Eth.* bene quidem utrumq; Justitiæ distrib. oppositum, uno nomine exprimentur & vocantur Injustitiam distributivam, sed male illam definiunt: *quæ plus vel minus, nullâ habitâ ratione dignitatis, personarum & circumstantiarum, præmia & pœnæ irrogantur.* Nam 1. omittunt genus proximum & adæquatum. 2. Injustitiam distributivam ut sic cum suis speciebus confundunt. Cum tamen ipse Libentb. c. l. justitiam distrib. subdividat in remuneratoriam & punitoriam. Ergo & injustitia remuneratoria & punitoria, cum injustitiâ distributivâ abstractè tali non sunt confundenda. Habet enim injustitia distributiva, ut ex apto opposito patet, pro objecto non pœnas & præmia, sed tantum publicas & communes res. E. nec ratione pœnarum & præmiorum, sed rerum communium definienda. 3. Actum injustitiæ distrib. cum ipso habitu permutant, & respectu illius eam definiunt, cum tamen respectu habitus & potentialiter id fieri debeat. Est n. Injustitia habitus, qui non quoad actum, sed potentiam operandi definiendus, quippe naturali superadditur potentia, eandemq; in operando s. male agendo facilem & expeditam reddit.

§. 4. Justitiam distributivam multi Scholasticorum, & alii non dividunt in certas sibi subjectas species; quamvis illius objecta vel præmia & pœnas; vel præmia & onera; vel præmia pœnas & onera agnoscant. Pro diversitate igitur objectorum etiam justitia distributiva in certas dispesci debebat species. Quoniam objecta, externa scilicet, virtutes specificant, & novas species constituunt.

§. 5. *Alii verò* Justitiam distrib. quidem dividunt, sed inadæquatè, in remuneratoriam & punitivam, ut: *Conimbricenses, Eust. de S. Paulo, Libentb. c. sæpe loci & c.* Quia præmia & pœnæ non exhaustiunt totam latitudinem justitiæ distributivæ, sed & onera seu tributa publicæ eidem verè subiciuntur, quippe quæ itidem publicæ res, & inter cives verè distribuenda sunt, quò salus publica servetur, uti *sect. prior. Memb. ult. Art. post. probavimus.*

§. 6. Nonnulli pœnas vel ad justitiam commutativam referunt, ut: *Arnisaus, Itterus, Dürrius, Wendlerus, Horneus, & plures alii.*

ab Horneo citati. Vel ad Justitiam utramq; & distributivam & commutativam, ut: Heerboord, disp. 30. Coll. Eth. Gukius v. disp. 12. qu. 1. rem in medio relinquit. Quarum sententias suo loco in futurum nempe disp. de Justitia commut. prosperante Deo, refutabimus.

§. 7. *Wendel. l. 1. c. 34. Phil. mor.* loco communis divisionis Justitiæ particularis, quam propriam vocat, in distributivam & commutativam, substituit aliam, uti putat, meliorem, & dividit Justitiam propriam in togatam, quæ Rempubl. tempore pacis rectè administrat; conspiciturq; in legum promulgatione, & executione; in illa, dum leges promulgantur, quæ in nullius fraudem, in omnium salutem cedunt: in hac cum pro circumstantiarum varietate in delictis puniendis, modo severitas, modo lenitas adhibetur. Et bellicam, quæ bellum justum cum æquitate administrat. Verùm 1. Exstruitur hæc Divisio ex falsa hypothese, quòd Objectum Justitiæ sit Jus seu Lex 2. inadæquata seu justo strictior est suo diviso, cum non exprimat ea, quæ sub propriam cadunt justitiam. Nam præter pœnas etiam onera præmiæq; continet, ut ex antè dictis manifestum. 3. Membra illius non sunt opposita, siquidem justitiæ togatæ non opponitur bellica, cum eadem ubiq; Justitia & in bello & in pace, nec bellum & pax illam variare, ac distinctas à se invicem Justitiæ species inferre valent.

§. 8. *Alstedius l. 21. c. 20. Encyc.* in divisione Just. distrib. nimis prolixus est: Illam enim dividit in fidelitatis & discipline justitiam. Fidelitatis justitia ipsi est, quæ aliis probamus nostram fidelitatem. Quam & in genere, vocat amorem proximi: quo uniti sumus alijs constanter in bono propter Deum: & in specie duobus modis considerat I. Ex bonis quæ sunt tribuenda: & ita versatur circa vitam & mortem aliorum, circa bona animi, libertatem vitæ, honorem alterius, jucunditatem & bona fortune. II. Ex personis, quibus aliquid tribuendum: Quas æstimare, dicit, tam ex gradu, quatenus sunt, superiores vel inferiores, in superioribus justitia dicitur vel Observantia ratione dignitatis; vel Gratitude ratione beneficiorum: In Paribus Amor: In inferioribus Humanitas; quàm ex conjunctione. Et cum aliæ persone, consanguineæ & affines, aliæ nullo sanguinis vel affinitatis vinculo nobis obstrictæ sunt. Quibus omnibus justitiam tribuere dicit, quod


quod singulis debetur pro vinculo necessitudinis majori vel minori. *Justitia disciplinæ est ipsi*, quæ versatur circa præmia & dicitur remunerans; vel circa pœnas, & dicitur *correctiva seu puniens*. *Utramque* tam remunerantem quam correctivam subdividit in *activam*, quæ docet præmia & pœnas rectè distribuere; & *passivam*, quæ eadem ritè accipere & ferre, docet. Quæ divisio, quoad prius membrum ferè coincidit cum sententia Scholasticorum & eorum, illos sectantium, quæ ex *D. Thom. Sec. sec. quæst. 79. Art. 1. Summa Th. ad Justitiam* referunt; *Religionem, Pietatem, Observantiam, Obœdientiam, Veritatem, Gratitude[m], Liberalitatem, Affabilitatem, Amicitiam*. Quas partes potenciales seu annexas *Justitiæ virtutes* appellat, vid. *Eust. de S. Paulo, §. 2. qu. 6. c. sepe l. Rhod. l. 4. c. 1. Eib. & c. Verum*, primo inadæquata hæc Alstedii divisio quoad utrumque membrum. Quoad prius, Fidelitas non ad justitiam distributivam, quæ probitas publica, sed ad probitatem privatam spectat: Et Fidelitas, non nisi generaliter & improprie Justitia distributiva dici potest: Nam non quodlibet alicui tribuendum ad justitiam distributivam referendum, sed publicæ ac communes res, inter cives distribuendæ, ut ex priori constat Sectione. Quoad posterius membrum, quia non sola justitia disciplinæ, includens remunerantem & punientem, sed & tributaria seu tributa imponens, ad distributivam pertinet justitiam. Nec ille qui accipit præmia vel pœnas proprie justus dicendus, sed qui confert, adeoq; nec utraq; tam remunerans quam puniens in activam & passivam subdividenda. Deinde Humanitas & Officiositas, quæ nihil aliud est quam Amor proximi, distinctæ juxta Alsted. à Justitiæ distributivæ virtutes mor. sunt, nec eidem ab Alstedio subjunguntur, sed peculiariter tractantur, confer *c. 18. & 21. c. libr.* Quare itaq; illas ad justitiam distributivam refert? Tandem *Religio, Pietas & c.* Non sunt proprie & accuratè loquendo partes Justitiæ distributivæ potenciales, vel virtutes illi annexæ; Alias enim nimis latè justitia distr. extendenda esset, sed sunt distinctæ à Justitiâ distrib. & diversi generis virtutes, & haud aliter eum justitia distrib. quam cum cæteris virtutibus mor. connectuntur. Virtutes enim omnes formaliter tales indissolubili coherent nexu. *Sin autem Scholastici prædictas virtutes velint, esse partes potenciales Justitiæ universalis; il-*

Ita non tam partes potentiales, quàm subjectivæ, ut aliàs vocant, seu species ejusdem erunt, cum Justitia universalis sit ipsa V.M. & ad inferiores se habeat ut genus ad suas species.

§. 9. Quidam **JUS** esse *objectum* *Justitiæ* volunt, ut: D. Thom. Sec. sec. Qu. 57. Art. 1. & communiter Thomistæ, conferaatur Eustach. de s. Paulo c. l. qu. 7. Abra D' Racon. Art. post. qu. 2. sect. 3. Phil. mor. Hier. Præf. part. 2. sect. 16. Th. Eth. & reliqui. Nonnulli **JUS** *Effectum* *Justitiæ* pronunciant, ut: Wendl. c. 18. sect. 1. Phil. mor. Spngl. disp. 11 Art. 1. pr. 7. Gutk. disp. Eth. 12. th. 10. Gol. l. 5. c. 6. Eth. Bürgersd. c. 21. §. 11. Libentib. Exerc. 1 3. th. 35. Coll. Eth. &c. Dürrius disp. 9. Eth. th. 38. &c. Idem utrumq; & *objectum* & *effectum* *Justitiæ* esse, adserit. Sed 1. Nondum consentiunt autores qualis *Justitiæ* num universalis an particularis, an distributivæ, an commutativæ, vel *objectum* vel *effectus* sit *Jus*. Pleriq; tacent: Bürgersd. c. l. affirmat, esse *effectum* *Justitiæ* universalis. Alii ex illis in hoc inclinare videntur esse *objectum* *Justitiæ* particularis, cum hanc tantum pro specie *Virtutis* mor. agnoscant. 2. Nec determinant, quale *Jus* intellectum velint, utrum *Jus* abstracte tale, quatenus abstractit à *jure* naturæ & positivo seu civili; an tantum *Jus* naturæ. 3. Quocunq; modo *Jus* intelligant, illud nec *objectum* nec *effectus* *Justitiæ* vel universalis vel particularis tam distributivæ, quàm commutativæ est. *Non objectum*: Nam *Jus* est principium complexum; quippe nihil aliud, quàm axioma ac propositio certa, honestatem invadens. *Justitia* verò est *Ens* incomplexum, cum sit habitus simplex. Jam complexum non potest ingredi s. constituere incomplexum. *Objectum* verò *virtutis* mor. illam ingredi ac constituere debet, ut inductio exemplorum probat. Deinde, in omni *objectum* alicujus *virtutis* mor. honestas introducenda est, & illà dirigendum. At **JUS** vel naturæ, vel ex illo profluens positivum, non opus habet honestate, seu directione in honestate, cum in se satis honestum ac justum sit. *Nec effectus*. *Jus* n. est principium regulativum *Justitiæ* non tantum distrib. uti superius evicimus, sed & cujuscunq; *Justitiæ*. E. nec ipsius *effectus* s. principiatum, cum principium & principiatum sint opposita. Porro **JUS** est prius *Justitiæ*, cum ex *jure* fluat *Justitia*, & qui *Jus* ubiq; observat, *Justus* dicitur. E. non illius *effectus*, cum *effectus* sit posterior illo, cujus est *effectus*.

§. 10. De

§. 10. De divisione Juris etiam aliquid dicendum esset, ut & de
Jure Talionis, quod olim Pythagorei acriter urserunt; Attamen cum
Jus ad essentiam Justitiæ distrib. non spectet, & alius sit form; Jus et-
iam Talionis ab Ethicis passim tractetur ac retellatur, utroq; misso,
finem nostræ imponimus disputationi: Sit DEO Trium-
laus honor & gloria in sempiterna
secula.




Ad

DN. RESPONDENTEM.

MActe animo! pergas Musarum vertere chartas,
Perperuo illarum sanctissima castra sequaris:
Sic quondam è studiis famam, sic Nominis
auram
Captabis, meritumq; feres non vile laborum.

benev. ergò scrib.

Hermannus Sembke, P. Prof. & Fa-
cult. Jurid. Senior, nec non Patriæ
Syndic.



INter virtutes cunctas splendore coruscant
Justitia & Virtus, quâ quis redditur Heros.


F 3

Hæc

Hæc etenim muros condunt , ac oppida firmant:
Hæc lætam curant Patriæ , Populiq; salutem:
Hæc multùm decorant tractantes Jura sacrata,
Quos magnos reddunt , & mox super æthera tollunt,
Laudibus idcirco , mi KLEE , qui Jura subinde
Verfas , & Themidi sacer es , tollendus ad astra:
Quòd summo his fervore studens virtutibus , illas
In Cathedrâ tractes , & quid sint , ritè perores.
Sicque Viri magni nomen , sic præmia multa ,
Et claram referes famam , quod mente vovemus.

*Ita Pereximio ac Politissimo DN. RESPONDENTI,
Amico suo maxime colendo, de egregio ac laudabili
elegantioris eruditionis specimine, publicè edito,
multùm gratulatur & feliciores subinde in studiis
progressus, illorumq; dulcissima precatur brabea*

PRÆSES.




EGregiam laudem proles KLEJANA reportas!
Dum quæ lecta diu , quæ sunt medidata diuq;
Profers in lucem , & verum convertis in usum:
Et meritò ; nam nil , vitam duxisse sub umbris,
Castalidumque domos aliquot coluisse per annos,
Crede juvat , neque permultos voluisse libellos,

Per-

Pervigili studio, veterū & monumenta Sophorum
Nocturnā trivisse manu, trivisse diurnā?
Socratis hoc quondam verbum memorabile fertur,
Ut, quæ quis vivis vel mutis fortè Magistris
Hauferit, in medium illa ferat, lucique reponat;
Præclarum, fateor, sapientis & utile dictum!
Namque fugit tenebras Ars, Ars committere gestit
Se luci: Perpendens hæc, committere pugnam
Audes cum grege Pieridum; Deus arma secundet;
Addimus, ut vivas **NOSTRI** non immemor unquam!

*Hi/ce DN. RESPONDENTI, nostro
ex asse Amico,*

Viri Excell. Jcti LEMKENII
COMMENSALIS,
gratulabundi acclamamus.



Sol æstivus abest, avidus jam messor adultam
Collegit segetem; jam pingua gramina primo
Frigore pallentis Septembris pallida, marcent,
Hinc ego demirror, **CYTISI** natura superbæ,
Quæ sit; quod sola hæc redivivo flore corusca
Fulgeat, & forti tentet conamine fortis
Autumni gelidos eludere fortiter Imbres;
Gratulor his ausis: vires precor, ut sibi sumat,

Te

Te florente, novas, CYTISO, tua Patria tellus,
Hic semper vives, tangesque cacumine cœlum,

Paucula hacce honori & Anori Eruditissimi

DN. Respondentis appropere

voluit, debuit

Johann Georg Mohrenschildt.



